
DE OBSTETRICIIS AD PARTUM NATURALEM CONDUCENTIBUS TENTAMEN HISTORICUM-CHIRURGICUM

THOMAE CAPPELLINI
CHIR. PISTORIENSIS.



TICINI MDCCXCII.
APUD HERED. PETRI GALEATII
CUM APPROBATIONE.

Homo Naturae Minister, & Interpres tantum facit, & intelligit, quantum de Naturae ordine, re, vel mente observaverit; nec amplius scit aut potest.

BACO DE VERULAM. Nov. Organ. Scientiar. Vol. III. Aph. I.

PRAEFATIO.

Paucis hic morabere Lector, ne ignores hoc mihi opusculo consilii tantum fuisse, ut & meam de Partus naturalis *apud homines caussis, & rationibus, sententiam agnoscas, & de obstetricandi eodem in* Partu *methodo aequiori sis compos. Res postulabat, ut Italus ego, brevem artis Obstetriciorum historiam allaturus, Italorum pro eiusdem incremento conatus a caeteris neglectos, iniuriosoque silentio pressos, in medium afferrem. Graecos aliquot video, Latinos perpaucos inter veteres Obstetriciorum Scriptores, tum Arabes a recentioribus, ut memoria dignos, recenseri; Meque piget tantae eruditiorum desidiei, quippe qui ab AVICENNAE diebus, & RASIS, ad PAREI tempora, neminem, inter Italos de Obstetriciis agentes, Medicum obviam habuerint, quum revera nullibi terrarum dexteriori Apolline Ars haec fuerit exculta, & felicioribus ominibus. Audivi MALACARNII a saeculo XII. ad initium XVI. duodeviginti saltem Italos, ac praesertim Insubres Scriptores, de Obstetriciis optime meritos, ex cathedra indigitamenta, & libros operaque eorum curiose diligenterque pervolvens certior sum factus Graecos, & Latinos plura ad hanc rem praestasse, Arabes parum eam promovisse, ab Italis vero, ac praesertim Insubribus ante PAREUM adeo elatam artem, ut exteris aliquid non invidendum nobis esse, sed non edoctum omnino asseverare vix non ausim.*

Veterum ergo Italorum ab invidorum silentio vindicare, Insubribus (per quos me plurimum profecisse

lubens fateor), *quae eorum sunt reddere*, *meum esse ducens*, *id pro modulo aggressus*, *nil antiquius habeo*, *quam polliceri plura* de Partu non naturali, *ac* de Partu absque severioribus Artis auxiliis impossibili *a me collecta*, *publici iuris facturum*, *siquidem vitam superi concesserint*, *ac vires*, *ut Pistorium redeam*, *in Patriam*, *inquam*, *delicium meum*, *columen*, *robur*, *protectio mea ultra cineres colenda*; *Cuius non Amplissimus modo SENATUS*, *verum & PLURES IN PROCERUM NOBILISSIMORUM EIUS COETU*, *splendore Generis*, *Maiorum Gloria*, *Propria Virtute Praestantissimi*, *maxima in me beneficia magnanimiter contulerunt*, *nec conferre desinunt*.

Tunc plura adhuc de Italis Obstetriciorum huius aetatis Cultoribus mihi dicenda supererunt, *non ut exterarum Gentium merita laudesque minuam* (*quod Deus avertat*) *sed*, *ut comparatione instituta*, *evidentius ab universo perspiciatur*, *suum cuique honorem habendum*, *& a nobis haberi inter aequitatis confinia*, *nam & nostrum semper erit clarissimi*, *praestantissimique Equit. IO. ALEXANDRI A BRAMBILLA effatum* = Rispetto moltissimo quelle altre Nazioni, che avendo camminato sulle tracce de' nostri Maestri, hanno coltivato bene queste scienze, ed hanno forse rischiarite alcune materie; quando però si consideri l'immensità de' travagli fatti dagl' Italiani, conviene confessare, che sorpassano di gran lunga tutti gl' insieme uniti sforzi dell' altre Nazioni (*a*). *Vale*.

(a) Storia delle Scoperte Fisico-Anatomico-Medico-Chirurgiche fatte dagli Uomini illustri di GIO. ALESS. BRAMBILLA. T. 3 Milano 1780 1781 1782 in 4.

CHIRURGIAE UNIVERSAE

AC

POTISSIMUM OBSTETRICIORUM

APUD ITALOS, GERMANOSQUE

PATRONO

D. D. D.



THOMAS CAPPELLINI.

CUM aliquid conscribere ſtatuiſſem, calamumque sumpſiſſem, id mihi venit in mentem, quod multi forsan, nec immerito, mirabuntur, ut ſtudiorum meorum primitias difficillimae Obſtetriciae Arti consacrarem, atque in iis tantum operis, ac temporis ponerem. Dum haec autem animo cogitabam, paullulum tunc quidem abfuit, quin de mea sententia decederem, meque potius ad naturam iterum observandam, Obſtetriciuumque libros legendos, quam ad scribendi ſtudium excitarem; eoque magis cum certus eſſem, me

nil novi, quod maximo emolumento effet, in medium fore allaturum.

Verum poftea optima quaeque ex Obftetriciuum operibus diffusa, ut facilius intelligi poffent, etiam colligere, iisque licet leviffimas animadverfiones addere haud penitus inutile fore confiderans, ab Obftetriciis, quae iamdiu meditabar, cogitationem meam non avocavi. Et revera, cum nulla fere in universo fint, in quibus SUMMI NUMINIS potentia luculentius, quam in hominis creatione probetur, nil quantum illius generatio, naturaque, quod magis fpectaverint Philosophi, quid optabilius, quid dignius, quid praeftantius, quid mihi denique utilius quam modum, quo homo ipse facile tuteque in lucem prodeat, perscrutari?

Quae cum ita sese habeant, cumque plurimum me debere sentiam operibus Illuftriffimi, ac Praeftantiffimi Viri D. D. IOANNIS ALEXANDRI A BRAMBILLA S. R. I. Equitis &c. exiguum idcirco hunc meorum laborum fructum IPSI me debere fatendum exiftimavi; magnum fiquidem ab ILLO conscriptum opus (a), quod terque quaterque perlegi, (neque adhuc satis legiffe habeo), non solum quam maxime in reftauranda, perficiendaque re noftra Itala adlaborarint ingenia, verum etiam complures Italos Scriptores, e quibus haurirem praecepta, eaque meliora indicavit.

Aft quamvis haec potiffima mihi ratio fuerit, ut fi quas in hac praeftantiffima Chirurgiae parte animus meus acquifitas, & adeptas vires expromeret, eo referri palam facerem, unde maximum illis incrementum extiterat; & quamvis memoratum percurrens opus Italorum reapse laboribus, & Obftetriciorum reftaura-

(a) BRAMBILLA *Storia delle Scoperte Fisico-Medico-Chirurgiche fatte dagl' Uomini illuftri Italiani Tomi tre. Milano* 1780, 1781 *e* 1782 *in* 4.

tionem, & lumen, quo in praesens fruimur, accepta deberi cognoverim, qui labores, quive conatus poterunt IPSIUS maximam humanitatem promereri? Enitar equidem, nec mihi deero.

Sed haec satis profecto mihi non sunt; nec obtemperare mihi possum, VIR PRAESTANTISSIME, quin in praesentiarum summis saltem labiis attingam toti Orbi notissimas, & seram posteritatem in admirationem acturas virtutes TUAS; neque caetera ANIMI TUI bona: verum ea solummodo, quae Vindobonae, & apud Austriacos Principes tibi compararunt honores; quaeque & Bononiensis, & Mantuana, & Florentina, nec non Academia Parisiensis, & Montispessulani iamdiu cognita, perspectaque habent, ut maxime sibi ipsis decori TIBI honores offerre crediderint.

Potiores calami haec fusius egerunt, & agent: mihi tantum Lumen, tantumque Nomen venerare sit satis, dum ad rem venio.

RErum humanarum historiam cuilibet evolventi, veram artium fere omnium, atque scientiarum originem densissimis tenebris obvolutam facile erit comprehendere. Ast vero, quot & quam plurimis difficultatibus, quantaque obscuritate prae caeteris Medicina, & praesertim Obstetricia premantur, nemo est, qui non videat. Ratio tamen suadet, Medicinam a natura initia duxisse: „ nam & vulnus deligavit aliquis ante„ quam haec ars esset, & fabrem quiete, & abstinen„ tia, non quia rationem videbat, sed quia valetudo „ ipsa coegerat, mitigavit (*a*) ". Neque aliter Obstetricia cum genere humano orta fuisse credendum, & absque dubio tam simplicia, quam natura ipsa fuerat.

(*a*) QUINTILIAN. lib. 2 cap. 17 pag. 119. Patavii 1736 in 8.

Et revera : „ quando Eva a Paradiso terrestri expulsa „ suos peperit infantes, auxilii indiga nisi ab Adamo „ adiuvari poterat (*a*) ". Labentibus autem annis, & increscente sobole ipsimet aut sanguinis, aut amicitiae vinculo coniuncti puerperae auxiliabantur. Tandem earum nonnullae huic dumtaxat inservientes officio (*b*) propriae experientiae fructum aliis tradiderunt; adeo ut huiusmodi consuetudo earundem timore, atque pudore mulierum confirmata leges ipsas Athenienses solvere valuerit (*c*).

Ast si veteribus illis temporibus haec praestantior Medicinae pars foeminis, sive, ut rectius dicam, solis naturae viribus commissa fuit, haud mora cognoverunt homines, ad innumera removenda mala, quibus ob necessitudines, & morum depravationem, humanum corpus affligitur, varias, ac multiplices animalis oeconomiae leges intelligi, & cognosci oportere. Quapropter & peculiares in partus ab ipsis institutae fuerunt disquisitiones, & tunc mechanema naturale partus quod prius latebat, paullo aequius comprehendi, & impedimenta sive ex parte matris, sive ex parte foetus provenientia, investigari coepta sunt, simul ac rationes, & instrumenta, quibus aut male positus infans, vel monstruosus, sive mortuus, aut denique eiusdem caput elapso corpore extraheretur, reperta fuere.

Haec tamen ad nos usque non pervenerunt, ita ut primus inter illos, qui de Obstetriciis scripserunt, auctor, quique accuratius in partubus naturae voces interpretatus est, vir alioquin divino prorsus ingenio

---

(*a*) ASTRUC Histor. Contract. Artis Obstetriciae art. 1 pag. 1 Edit. Venet. 1764 in 4.

(*b*) GENES. cap. 35 ver. 17 & cap. 38 ver. 27 pag. 254. Edit. Venetiis 1755 in 4. EXOD. cap. 1 ver. 15 17 pag. 141 edit cit. I. REGUM cap. 4 ver. 20 pag. 93 edit cit. CAII PLINII II. Histor. Natur. lib. 28 cap. 27 pag. 449. Edit Paris 1723 in fol.

(*c*) C. IULII HYGINI AUGUSTI LIBERTI Fabular. lib. Fabula 274 pag. 52. *Paris.* in 8.

praeditus nominandus est HIPPOCRATES, cuius ubi plura, quae tradidit ad hanc artem spectantia in suis operibus fuse conscripta sedulo perpendamus (licet theoria saepe saepius a ratione deflectat), apud nos quoque experientia maxima ex parte adhuc dum videre erit confirmata.

Et primo, cum IPSE genitalium tum externorum, tum internorum mollitiem, quo magis os uteri dilatetur, proindeque foetus descensus facilior habeatur, aptissimam, quinimo necessariam fore cognovisset, ideo nos docuit: „ si quae in partu est, sicca fuerit, ac „ aegre humectetur, oleum bibat, & locos oleo ca- „ lido, & malvae aqua perfundat, & cerato liquido „ illiniat, adipe etiam anserino cum oleo infuso. At „ si .... (*a*) ". Et insuper: „ quum vero utraque „ crura conspicua manserint, neque alio processerint, „ fotu utendum, a quo humidissimus reddatur uterus. „ Odorem autem hic fotus habeat. Et quum caput „ prius apparuerit, reliquum vero corpus intus fuerit, „ hoc quoque fotu uteris. Quumque pars quidem cor- „ poris in utero, pars vero in pudendis, pars quoque „ extra pudenda intumuerit, ac manserit, sic etiam „ fotu utitor. Et si .... & pudenda ipsa si ficciora, „ quam conveniat, tibi esse videantur, cerato iun- „ genda (*b*) ". Tandem: „ cerato autem liquido prius „ illinire oportet; id autem in omnibus eiusmodi circa „ uterum affectionibus est optimum (*c*) ".

Quod si partus dolores memoratam efficientes dilatationem, ac dein infantem expellentes, quomodocumque remisissent, aut prorsus evanuissent, quemadmodum linteis calidis abdomini superimpositis, sive interdum aquae frigidae iniectionibus, aut irritatione accurate per

(*a*) HIPPOC. Coi opera omnia Tom. 7. De mulier. morbis lib. 1 cap. 33 pag. 749. Edit. Lutetiae Paris. 1676 in fol.
(*b*) HIPPOCRAT. opus cit. Tom. 7 De superfoet. liber cap. 2. Edit. cit. pag. 861.
(*c*) De mulierum morb. lib. 1 cap. 67 pag. 766.

digitos instituta, caeterisque tum externis, tum internis remediis sensibilitas uteri nostris temporibus excitatur, sic & apud HIPPOCRATEM videre est aliquid simillimum: „ quod si prodire volentes non facile soluti abeant, quum „ siti sint secundum naturam, iis sternutatorium adhi- „ beto. Naribus autem...... Concussionibus etiam „ utendum, sic autem concussiones parandae. Lecto al- „ to.... ab utroque vero pede hinc & illinc vir unus „ eam attollat, ut lectus recta decidat plano & aequa- „ bili momento, neque contractio sit. Concutiendum „ autem maxime simul ac partus dolores urgent. Quod „ si foetus quidem decesserit, statim cessandum; alioquin „ per intervalla concutienda (*a*)". Et alio loco: „ Et „ siquidem per fomentum discesserit, bene habet; sin mi- „ nus elaterio crasso aqua diluto illinito, quo partus do- „ lores afferat. Quin & cibis, ac potibus dolores partus „ promovendi (*b*)". Sic de reliquis internis medica- „ minibus (*c*).

Secundo vero, quod foetus attinet ad partes, quibus orificio uteri offertur, naturam prudentissimam in partu semper studuisse sibi suadebat HIPPOCRATES, ut ipse exiret in hanc lucem qua maiori fieri potest facilitate & ipsi, & matri. Facillimum hinc utrique iudicavit, si prius capite partus exiret; & quo magis ab hac via discessisset, eo maiora obeunda mala. Triplici idcirco ratione, capite nimirum, pedibus, & trunco foetum sese offerre posse docuit; atque totidem partuum genera, id est *naturale*, *difficile*, & denique naturae tantum conatibus *impossibile* & IPSE constituit. Atque ut suam tueretur sententiam hisce verbis locutus est: „ Si vero mulieri uterum „ gerenti iam partus tempus adfuerit, ac partus dolor „ detinuerit, diuturnoque tempore mulier foetum edere

(*a*) De mulierum morbis lib. 1 cap. 67 pag. 768.
(*b*) De superfoet. lib. cap. 2 pag. 861.
(*c*) De mulier. morb. lib. 1 cap. 77 pag. 776., & cap. 81 pag. 778, & cap. 83 pag. 779.

" non potuerit, is transversus, aut in pedes omnino
" exit. In caput autem prodire perutile. Quod si
" transversus exeat, gravis evadit affectio. Ut enim
" si quis in lecythum angustioris oris olivae nucleum
" intromittat, hunc transversarium educere non facile
" est; sic sane etiam mulieri gravis est affectio, ubi
" foetus transversarius fuerit; etenim ipsum exire per-
" arduum. Grave vero etiam est, si in pedes prodierit,
" & plerumque aut matres aut puelli, aut ambo etiam
" pereunt ". Est autem.... (a). " Hoc ipsum alibi
" confirmat: puer autem, ubi circumcirca disruptae
" sunt membranae, siquidem suo momento in caput
" magis inclinet, facile mulier parit. Quod si in latus
" aut in pedes prodeat..... difficilem partum mulier
" sentiet (b) ".

Si igitur foetus capite primum exiret, neque adversi quidquam evenisset, totum naturae committebat opus, ipsiusque tantum incessus diligenter prosequi, & observare studebat. Quibus vero legibus relate ad pelvim in lucem prodeat, haud cognitum erat HIPPOCRATI. Ex Illius scriptis enim probabilius nonnullas capitis positiones optimas credidisse, alias autem pravas, inferri posse videtur; licet peculiares, quibus caput male situm in rectam viam reducere datum est, rationes non indicaverit. Et revera si adhibitis succussionibus, caeterisque remediis, nihilo tamen minus caput in pelvim descendisset, manibus inchoatam absolvebat operationem, & praesertim, cum de foetu mortuo ageretur: " quum pueri capite extra uteri osculum
" apparente corpus reliquum non amplius progredi
" queat, puer vero mortuus fuerit, digitis aqua
" madefactis inter uteri osculum, & caput insertis di-
" gitum in orbem circumducito, deinde digito mento

(a) De mulierum morbis lib. 1 cap. 31 pag. 748.
(b) HIPPOCRAT. opus cit. Tom. 5. De natura pueri liber cap. 11 pag. 324.

„ subdito, in os traiecto foras extrahito. Quum vero „ reliquum corpus extra pudenda, caput autem intus „ fuerit (in pedes videlicet foetu prodeunte), cir- „ cumductis in orbem digitis manus ambas aqua made- „ factas inter uteri osculum, & caput immittito, & „ extrahito. Quod si extra uteri osculum, verum intra „ pudenda fuerit, manibus immissis caput apprehensum „ extrahito (*a*) “.

Ubi vero neque succussiones, neque remedia, nec denique manus satis superque valuissent, consonum rationi IPSI videbatur adhibere instrumenta innoxia matri & filio: „ Muliere aegre pariente, si foetus natu- „ ralibus in locis contineatur, neque facile exeat, sed „ cum labore, ac medici machinamentis, huiuscemodi „ foetus, quum pauci sint temporis, his non ante „ abscindendus umbilicus, quam urinam reddiderint, „ aut sternutarint, aut vocem ediderint, sed sinendi „ sunt (*b*) “.

Laboriosum, difficile, plerumque lethale genus aut matri, aut filio, aut ambobus, sed quidem non impossibile, ut a nonnullis dicitur, si pedes in partubus sese offerrent primi, iudicabat HIPPOCRATES, cuius omnes fere posteri secuti sunt sententiam; ac proinde, qui sic nascebantur Agrippae fuere nuncupati quasi aegre pariantur. Alii vero posterius, sicuti mors est contraria vitae, & in vita ritu naturae consueto in caput homo procedit, sic & in morte pedibus exire debuisse, immerito credidere (*c*). Quomodocumque res sese habeat, certum tamen est, quod, nisi maxima impendatur diligentia in EIUS perlegendis operibus, sibi contradicere prima fronte videbitur. „ Ipse interim, ut supra diximus, affirmat: quod si „ in latus aut in pedes prodeat.... difficilem partum

---

(*a*) De superfoetatione liber cap. 3 pag. 861.
(*b*) De superfoet. cap. 5 pag. 863.
(*c*) CAII PLINII II. opus cit. lib. 7 cap. 8 pag. 377 & 378.

„ mulier sentiet (*a*) ". Quapropter: „ si crus promi-
„ neat, illud oportet quam celerrime retrudere, & in
„ caput vertere, & ad viam reducere (*b*) " monet. Ergo si partum cuius pedes erumpunt primi ut difficilem HIPPOCRATES habuit, cur non eos retropellendos, sed potius manibus operationem absolvendam; quinimo sicut hoc modo prodeunte foetu capitis extractio sibi videbatur difficilis, manum intra faciem infantis, ac uteri orificium immittendam, ac denique extrahendum esse docuit (*c*)? Huius rei, ut mea fert opinio, ratio sita est in eo quod unum solummodo crus facile, contra ambo retrudi impossibile putaverit.

Quod vero ad huius partus periculum, difficultatemque pertinet, pariter cum GALENO (*d*) brachia disrumpendi periculum, & caput a trunco avellendi fuisse arbitror; quod non tantum leges, quibus caput per pelvim traiicit, sed etiam quibus deprimuntur brachia, adhuc latebant: quae successu temporis sensim sensimque postremae ab ARNALDI cuiusdam ITALI (*e*) sagacitatem, atque doctrinam, sicuti videre erit, patuere.

Tertium, atque ultimum partium genus illud est, quod grave, ac uti melius loquar, naturae tantum conatibus dicitur *impossibile*, quippe quod foetum transversarium exhibet. Si autem huiusce positionis caussam perquirere lubeat, eandem ipsam, qua fertur in pedes scilicet: „ propter uteri amplitudinem, vel si
„ mater in ipso partus dolore primum non quieverit
„ (*f*) " reperiemus. Quid igitur mirum, si tunc temporis physiologicis doctrinis innixus, & prius quam

(*a*) De natura pueri cap. 11 pag. 324.
(*b*) De mulierum morbis lib. 1 cap. 69 pag. 766.
(*c*) De superfoet. cap. 3 pag. 861.
(*d*) GALEN. opera Tom. 7. De Anat. Virorum cap. de Anat. panniculorum Foetus pag. 53. Edit Venet. 1562 in fol.
(*e*) ARNALDI Breviarium Medicinae practicae lib. 3 cap. 4 pag. 218. Lugduni 1504 in fol.
(*f*) De natur. puer. cap. 11 pag. 324.

effluxissent aquae, easdem succussiones, ut foetus transversarii tum vivi, tum mortui, duplicati, & complicati ritu naturae consueto prodirent, adhibebat HIPPOCRATES? Et eo magis quid mirum, si praestantissimi nostrae aetatis in Obstetriciis Observatores, variam matris situationem, lapsus, oris uteri irritationes, praesertim si ingens amnios aquae adfuerit copia, ad varium foetui situm conciliandum accommodatas esse una voce confirmant? Ex dictis quoque patet, quod si succussiones omnia bene non praestitissent, tunc manibus, ut naturaliter infans prodiret, operam dabat. Et utinam interdum pro extractione foetus pedibus habita, caput potius in rectam viam modo redigeremus!

Eadem vero prorsus ratione, ut de uno tantummodo pede supra adnotatum fuit, si vivi foetus aut una, aut ambae erupissent manus, sese habebat HIPPOCRATES: „ quum vitali edito foetu manus pro„ mineat, ea retro impellenda, quoad supra repule„ ris; & si ambae promineant, ambas retrudito (*a*) “. Et insuper: „ at vero, qui vivi foetus manum, aut „ crus, aut utrumque foras praemittunt, eos oportet „ quam celerrime, quum exitum significarint, prae„ dicto modo retrudere, & in caput vertere (*b*) “. Idem quoque praestabat, si foetus mortui manus, aut crus prominerent; verum, si id fieri non potuisset, sed intumuissent, ea iubebat concidere: „ caput gladiolo „ dissectum piestro, ut ne vulneretur comminuto, & „ officula per ossium volsellam extrahito; aut em„ bryulco ad claviculam, ubi firmiter adhaereat, im„ misso, non confestim, sed paullatim remittendo, & „ rursus adurgendo extrahito. Quum vero haec foras „ extraxeris, & in humeris haeserit, utrasque manus „ cum humeris ad ipsos articulos secato. Quumque „ haec abstuleris, si fieri quidem possit, ut exeant,

(*a*) De superfoet. liber cap. 2 pag. 861.
(*b*) De mulier. morb. lib. 1 cap. 69 pag. 766.

„ reliqua etiam prompte extrahito. Quod si nihil ce-
„ dat, pectus totum ad iugulum usque dissecato; ve-
„ rum caveto, ne ad ventrem secueris, & aliquam
„ intestini partem denudes. Excidit enim venter, &
„ intestina, & stercus. Et si quid horum excidat,
„ magis negotium facessit. Costas autem contundito,
„ & scapulas conducito; posteaque reliquus foetus fa-
„ cile prodibit, nisi iam ventrem tumidum habuerit.
„ Si quid enim eiusmodi evenerit, foetus ventrem le-
„ viter perforare praestiterit (a)". Tandem si brachium, aut crus foetus minime vitalis extra uteri osculum mansisset, neque alio processisset, tunc iubebat:
„ quidquid foris fuerit, quantum possis penitissime re-
„ secato, & reliquum intromissum protrudito, &
„ foetum in caput vertito (b)".

Modo, quae ad secundam pertinent, consideranda veniunt. Et primum quidquid de foetu medici machinamentis extracto expositum fuit relegere oportet, ut quae sumus dicturi, facilius intelligantur.

Secundam igitur elapso foetu statim prodire utilissimum; contra vero intus cunctari affixam matrici grave, atque periculosum existimavit HIPPOCRATES. Et revera sic ait: „ Quum secundae statim a
„ partu non secesserint, imi ventris dolores in laterum
„ inanitatem suboriuntur, & rigores, & febres. Quod
„ si secundae discesserint, mulier etiam sanescit (c)".
Quapropter alibi cavendum monet: „ Si secundae non
„ facile excidant ad foetum quidem maxime propen-
„ dere sinenda sunt, puerperaque quemadmodum super
„ lasano collocanda. Sit autem in altum sella compa-
„ rata, aut quid simile, ut foetus propendens, suo
„ pondere eas una secum foras extrahat. Id sensim
„ non vi faciendum, ne praeter naturam distractae
„ secundae inflammationem excitent. Supponendae igi-

(a) De mulierum morbis lib. 1 cap. 69 pag. 769 & 770.
(b) De mulier. morb. lib. 1 cap. 69 pag. 770.
(c) De mulier. morb. lib. 1. cap. 51 pag. 757.

„ tur foetui lanae quam maxime sublatae recens car-
„ ptae, quo paullatim cedant; aut utriculi duo co-
„ pulati aqua pleni, supra quos lanae imponendae,
„ & supra lanas foetus collocandus; deinde uterque
„ utriculus ſtilo pungendus, quo senſim aqua defluat;
„ effluente vero aqua utres demittantur, ac conſidant;
„ his autem demiſſis foetus umbilicum attrahit, um-
„ bilicus vero secundas extrahit. Si vero.... Ad
„ eundem quoque modum abrupto, aut ante tempus
„ absciſſo umbilico, convenientibus apprehenſis pon-
„ deribus secundarum eductio molienda. Haec enim
„ iſtorum optima eſt curatio, minimeque laedit (*a*)".

Quod ſi hactenus dicta satis superque non fuiſſent, tunc ea, quibus potiſſimum eiiciuntur secundae ſternutatoria nimirum, atque potiones (*b*) adhibenda proposuit VIR ILLE DOCTISSIMUS.

Exantlatis partus laboribus, ut & nos quotidiano eventu comperimus, non immunes periculis enixae visae fuerunt HIPPOCRATI: idcirco operae pretium eſt, quae de puerperio nobis reliquit, quaeque sunt animadverſione digniſſima, perpendere, atque rimari.

Ipse itaque, ſive nulla mulieri, ſive pauciora quam oporteat, puerperii purgamenta fluxerint, multa, & gravia symptomata puerperam exercere observavit:
„ Quum mulieri aut lochia non expurgata fuerint,
„ aut menses non prodierint, aut induruerit uterus,
„ dolor lumbos obſidet, & laterum quidem inanitates,
„ inguina, & femora, & pedes acerbe dolent, venter
„ attollitur, & horrores corpus percurrunt; ex his
„ vero febres acutae oriuntur (*c*)". Et insuper: „ Si
„ vero ex partu non fuerit purgata, venter tumet,
„ & lien, & crura rigor corripit, dolores ad lumbos
„ irruunt, interdumque etiam ad viscera, & perfrige-

(*a*) De superfoet lib. cap. 3 pag. 862.
(*b*) De mulier. morb. lib. 1 cap. 83 pag. 779 & 780.
(*c*) HIPPOCRAT. opus cit. Tom. 7. De mulier. morb. lib. 2 cap. 34 pag. 750.

„ ratur, febrisque detinet (a)". Tandem: „ si vero „ mulieri puerperii purgatio ad caput irruat, thora- „ cem, ac pulmonem (id enim contingit) plerumque „ statim moriuntur, si detineatur (b)". Ast non minoris momenti est apud IPSUM reperire: „ siquidem „ febris expers sit (mulier nimirum), balneis cura- „ to; caput autem oleo anethino illinito. Malvae au- „ tem decoctum, aut in aquam eius effusum oleum „ cyprinum ad insessum dolores leniendi gratia adhi- „ beto. In omnibus autem morbis, in quibus fotus „ conducit, praestiterit post fotum pingui aliquo per- „ ungi. At si febris detineat, a balneis abstinendum, „ fotibus autem & tepefacientibus, & lumbi curan- „ di. Medicamenta autem uterina, & potus sunt „ adhibenda (c)".

Postremo autem loco, quod valde iuvat perpendere, situm est in eo, quod HIPPOCRATES inflammato utero, medicamenta uterorum dolores sedantia (d), cibos quam paucissimos edendos (e), venam quam celeriter secandam (f), alvum emolliendam (g), fotus, & cataplasmata imo ventri admovenda (h), & tandem suffitus, & iniectiones (i) in uterum immittenda saepe saepius esse dixerit.

Bene autem, ut vir eximius ALEX. BRAMBILLA (k) iure meritoque confirmat, de Obstetriciis meritus est ITALUS CORNELIUS CELSUS (l), qui

---

(a) De mulier. morbis lib. 2 cap. 40 pag. 752.
(b) De mulier. morb. lib. 2 cap. 45 pag. 755.
(c) De mulier. morb. lib. 1 cap. 34 pag. 750.
(d) De mulierum morbis lib. 2 cap. 56 pag. 759.
(e) Ibidem cap. 54 pag. 758.
(f) Ibidem cap. 42 pag. 754.
(g) Ibidem cap. 56 pag. 759.
(h) Ibidem cap. 54 pag. 758 & cap. 56 pag. 759.
(i) Ibidem cap. 54 pag. 758.
(k) BRAMBILLA opus cit. Tom. 1 pag. 7.
(l) In AETII collectione. AURELII CORNELII CELSI. De re Medica. Edit. Northusae 1557 in fol.

sane prudenterque relictis tunc aetatis nobilium praeiudiciis non solum dilatandis Medicinae, & Chirurgiae finibus, verum etiam Arti nostrae perficiendae operam dedit; adeo ut nonnulla, quae in tenebris erant addita ab ILLO fuisse, alia illustrata, alia castigata, fatendum omnibus sit. Primus itaque omnium, quomodo manus ad emortuum extrahendum foetum immitti debeat in uterum, idque prorsus aequali, qua nostris hisce temporibus fieri solet, ratione, locutus est: „ hac occa„ sione usus medicus, unctae manus indicem digitum „ primum debet inserere, atque ibi continere, donec „ iterum os aperiatur, rursusque alterum digitum im„ mittere debebit, & per easdem occasiones alios, do„ nec tota esse intus manus possit (*a*) ". Partus insuper mechanema, sive leges, quibus e pelvi egreditur foetus adeo cognovit, atque intellexit, ut non omnem partum penitus obstare naturae affirmaverit, in quo caput primum non erumpit; dicit enim: „ Medici vero „ propositum est, ut eum manu dirigat vel in caput, „ vel etiam in pedes, si forte aliter compositus est „ (*b*) ". Ad matricis osculum caput emortuo offerente foetu, uncos vel oculis, vel auribus, vel ori immitti oportere, manuque dextera (praesertim si ob oris vulvae compressionem infantem abrumpendi periculum adsit) leniter trahere, sinistra vero intus illum dirigere, atque sustentare monemur. Idem quoque, cum caput avulsum a trunco erat, IPSE praestabat: immo etiam, ut facilius in vacuam vulvam laberetur, pressiones imo ventri, quibus in praesens utimur, utillimas dixit. Haud ineptam praeterea convertendi foetum (si in transversum iacet) aut in caput, prout occasio tulerit, aut in pedes, „ ex eo quod si in „ pedes quoque conversus infans non difficulter extra„ hitur, quibus apprehensis per ipsas manus commode

(*a*) Ibidem lib. 7 cap. 29 pag. 164.
(*b*) Ibidem cap. 29 pag. 164.

„ educitur (*a*) " methodum descripsit. Hisce omnibus, si quae ad secundinam spectant, lubeat consociare „ Medicus deinde sinistra leniter trahere umbilicum „ debet, ita ne abrumpat, dextraque eum sequi usque „ ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum „ infantis intus fuit: Hisque ultimis apprehensis ve„ nulas, membranulasque omnes eadem ratione manu „ diducere a vulva, totumque illud extrahere (*b*) " magis magisque patebit assertum. Quamobrem non possum, qui post eum floruerunt, scriptores perlegere, eo quod tam parum, & per tot saecula huius doctissimi VIRI praeceptis conversionem foetus spectantibus haud aures praebuerint, quin maxima admiratione corripiar.

Centum, ni fallor, post annos Romam petivit GALENUS (*c*), ibique sedem fixit, ac mores urbis secutus est. IPSE equidem licet pro Medicinae instauratore (nec praeter meritum) habeatur, alia tamen de Obstetriciis ratio habenda est. Tantum enim attingit, quod, ut foetus naturaliter prodeat, in caput gigni oporteat, ac deinde caetera graciliora membra sequantur. Quod si in obliquum, aut in transversum iaceat infans, sive manus praemiserit, ex quod difficilis aliis crassioribus membris paratur exitus, difficilem idcirco partum mulieri fore asserit.

Pedibus vero primum offerentibus praeter ea, quae diximus, timendum quoque, inquit, ne brachia frangantur; & si unus tantum promineat pes, de alio verendum. Hic autem desinit GALENI in rem nostram doctrina.

MOSCHION (*d*), de quo nunc verba facere

(*a*) Ibidem cap. 29 pag. 164.
(*b*) Ibidem cap. 29 pag. 165.
(*c*) GALENI opus cit. De Anat. viv. cap. de pannieulorum foetus pag. 53.
(*d*) ISRAELIS SPACHII Gyneciis sive mulierum &c. MOSCHIONIS pars prior. Edit. Argentinae 1597 in fol.

aggredimur, licet incertae aetatis ſit auctor, tamen vitam Romae degiſſe certum eſt: IPSUMQUE de ornatu librum pro Obſtetricibus litteris tradidiſſe, in quo non tantum ea, quae partus reſpiciunt, verum etiam mulierum morbos attente, ſolerterque tractaviſſe in dubium non revocatur. In primis igitur, & prae caeteris ſellam obſtetriciam, ſtudium Obſtetricis in partu, minutasque curas deſcribit, & indicat: nec non plurimas partus difficilis cauſſas, pravasque foetus poſitiones, & auxilia etiam proponit. Quamobrem ſi genitalium partium ſiccitate, aut anguſtia foetus egredi nequeat, ſtatim oleis calidis, malvarumque decocto ſubveniendum propoſuit. Ubi vero praeter naturam poſitus infans ſibi obſtiterit prodituro, matrem modo antrorſum (prout ipſius foetus poſitio ferre videtur), modo retrorſum, aut in dexteram, aut in ſiniſtram partem propendere ſinendum eſſe; & niſi ſuffecerit, manibus operationem abſolvendam docuit.

Sed antequam reducendi capitis, ſive illius extrahendi pedes rationes exponam, duo tantum genera partuum habuiſſe, *naturale* alterum, in quo caput erumpit; alterum *praeternaturale*, in quo caeterae corporis partes ſeſe offerunt primo, iuvat demonſtrare.

Si foetus igitur aut obliquus, aut transverſus fuerit, ſecundum naturam componere: & ſi unam, aut utrasque praemiſerit manus, eas retrudere, & caput adducere monet. Prominente autem pede, non vi trahendum, ſed alium inquirendum: & ſi ambo conſpicua manſerint, depreſſis brachiis, atque lateribus iunctis operationem abſolvendam ſubiungit. Qui vero foetus ob corporis magnitudinem, aut mortem manibus extractu difficiles exiſtimantur, uncis oculis, aut ori, aut denique occipi (quod nullus vel cognitum habuerat, vel auſus erat) infictis opitulandos: neque ita prodeuntes embryulco ſecandos eſſe pronunciavit: iure meritoque praeterea ſecundam valida vi vetavit extrahere, ex eo quod progreſſu temporis ſua ſponte labatur.

Licet

Licet ſint pauca, quae AETIUS (a) de ASPASIA refert, id tamen, quod & noſtra ſcribendi ratio poſtulat, & quod ſcitu dignum videbitur, in medium afferre praeſtiterit.

In primis igitur ſatis amplam, & HIPPOCRATIS fere penitus ad arbitrium de ſtudio praegnantium, de ſignis partus ſecundum naturam futuri, ac poſtremo de mulieribus tum naturaliter, tum aegre parientibus adiuvandis hiſtoriam ſuppeditat, quam ad trutinam revocare haud utile putamus; ſic & plurimas partus difficilis cauſſas ſilentio praeteream, easque tantum, quae ob novitatem, gravitatemque obſervari merentur, breviter attingam.

Obliquitas vero uteri a nemine prius indagata, utpote quae pariendi difficultatem inducit ab ASPASIA recenſita fuit; quin tamen de recta illius corrigendi methodo verba fecerit. Carnis eiusdem uteri cervici vel osculo adnata, inflammatio, abſceſſus, durities, ſiccitas locorum, nimia tunicarum foetum ambientium reſiſtentia, nec non magna excrementorum copia aut in veſica, aut in inteſtino recto detenta, alia totidem habebantur impedimenta. Aſt vero maioris momenti res vertitur in eo, quod foetus aut totus, aut aliqua in parte magnitudine excellat, vel biceps, vel triceps, vel quod gemini prodeant; ſive eius caput in dexteram, aut in ſiniſtram uteri partem declinet; vel quod una tantum, aut utraque manus promineat, & intus crura inter ſe divergant: nec non ſi in alterutrum latus, aut in ventrem iaceat foetus: vel denique ſi capite, & cruribus, aut ventre, ſive coxarum vertebris osculo uteri duplicatus incumbat. Quibus omnibus, & aliis medendi ratio, quaeque HIPPOCRATIS

(a) In AETII Medici contract. Medicin. Tetr. 4 serm. 4 cap. 12 13 & seqq. pag. 784 & seqq.

haud parum CELSIQUE doctrinis innititur, prorsus non aspernenda coniungitur.

De PHILUMENO (a) quoque circa foetus extractionem, nec non secundae eductionem mentis facta est ab ipsomet AETIO. Dicit enim mulierem spectare oportere, an lethali morbo prematur, nec ne, ut potentem servare, deploratam vero relinquere valeamus: illamque pariter, ut id facilius assequatur, vino tum intus, tum extus operationis tempore reficiendam. Quo autem in partu caput orificio uteri sese offert, ipsumque penitus obstruxerit, foetum iubet in pedes convertere, & si minus succedat, uncos oculis, aut ori, aut mento infigendos, atque ita educendum subiungit. Nec aliter in hydrocephalica, aut hydrothoraci, sive hydropica ipsius affectione, quin prius aquam effudisset sese PHILUMENUS habebat: immo etiam si difficultas adhuc mansisset, caput concidere, atque dentario phorcipe educere iubebat. Ubi autem una tantum, aut ambae extra uteri osculum apparuerint manus, eas ab humero, similiter & pedes non prodeunte corpore ab inguinibus, ut caput facilius in viam redeat, abscindere. Caput conterere, & uncis extrahere (si duplicatus manserit foetus) crura resecare, (si plus quam caput conspicua fuerint) & tandem idem caput (si duplicatio pertinacior fuerit), ut transgresso trunco pedes educantur, abscindere, sunt ea, quae non sine horrore leguntur.

Quod si elapso foetu secunda non prodeat, verum matrici cohaereat, manum immittendam, illamque leniter trahere oportere: & nisi ita secesserit, eam relinquere, & ad emmenagoga confugere proponit.

Iure autem meritoque laudandus PAULUS AEGINETA (b), qui non sine magna prudentia, odio ut

(a) In AETII collect. cit Tetr. 4 serm. 4 cap. 23 & 24 pag. 790.

(b) In AETII collect. PAULI AEGINETAE Medici opera.

ita dicam habitis PHILUMENI doctrinis ad naturam redivit, eandemque in pristina iura restituit, prout melius ipsi inservire, quam imperare crediderit. Atque ut propositum pateat, duo tantum relate ad partes, quibus se foetus valet offerre, genera partuum habuisse; *naturale* nimirum, si caput, aut pedes ne tantillum quidem a recto tramite declinantes sese offerrent: *laboriosum* si reliquae corporis partes matricis osculo incumberent, animadvertere opus est. *Laboriosum* praeterea dixit, quotiescunque foetus monstruosus, aut mortuus, aut biceps, aut triceps, nec non si valetudinaria fuisset, & viribus destituta mater, atque si ob nimiam laxitatem, vel duritiem membranae peccassent. Hisce omnibus nonnullae copulantur caussae, quae licet foris accedant non minorem tamen parientibus difficultatem afferre observavit. Dolendum sane nobis est, quod huius tanti VIRI praecepta ob brevitatem alia praeterire, alia tantum attingere cogimur. Ast quod maxime attentionem nostram meretur, illud est, quod naturalis foetus descensus in pelvim prae caeteris adeo cognovit, ut pravas capitis positiones rectam corrigendi methodum a nemine excogitatam indicaverit: „ ubi autem praeter naturam conformatum „ embryon est, scematismum naturale reddito; nunc „ quidem impellendo, nunc vero adducendo, nunc „ flectendo, nunc vero dirigendo (*a*) “. Quod si manum, pedemve praemiserit foetus, eos quam celerrime retrudebat, ac postea foetum aut in caput, aut in pedes, prout oris uteri ratio ferre sibi videbatur, iterum dirigebat. Nec minus probant assertum, quae de foetus non vitalis extractione leguntur; dicit enim uncos non solum oculis, & mento, ut HIPPOCRATI, caeterisque mox erat, verum etiam occipiti, quod nullus vel cognitum habuerat, vel ausus erat infigendos.

(*a*) Opus cit. lib. 3 cap. 74 pag. 582.

De caeteris ad hoc pertinentibus, & foetum hydrope laborantem PHILUMENI ad morem sese gerebat: nec non statim a partu secundinis non secedentibus, quin tamen, ut ILLE, proposuerit emmenagoga. Inflammatis denique uteris praeter caetera medicamina obsoletam quoque venae sectionem in usum revocavit.

Modo inter Arabos AVICENNA, ALBUCASIS, atque TROTULA nominandi forent: quos, licet ut graviorum veterum Scriptorum absolvatur historia rimari opus appareat, tamen de iis omnibus, etiam si *postrema* Romae vixerit aliquanto, atque omnium *primae* IPSI perinaei ruptura in partubus propter assistentium defectum adveniens, nec non medendi methodus innotuerit: utpote a natura aberrantibus, nil sentiendum existimo. Operae idcirco pretium videtur in ITALIAM reverti, ubi scientiarum renovatarum lux sensim sensimque ad Obstetriciam quoque ita penetravit, ut salutari anatomicae disciplinae praesidio tum longinquis, tum proximis gentibus praecellere visa fuerit.

Primus (*a*) igitur, qui Barbarorum caliginem dissipare coepit, quique Anatomen, & universam Chirurgicam artem toto animo, totisque viribus restituendam curavit, locum sibi vindicat GUILELMUS de Saliceto (*b*) Placentinus, „ peritus omnino doctior, & „ administrationum Chirurgicarum peritus, valens ho- „ mo non blando iudice GUIDONE (*c*)". Neque alia de iis, quae rem nostram attingunt ratio habenda est. Usum enim ad faciles partus edendos balneorum, aquae calidae, sive malvarum, aut florum camomillae decoctionis, antequam hora, vel dies partus accedat IPSE

(*a*) BRAMBILLA opus cit. Tom. 1 pag. 39.

(*b*) GUILELMI de Saliceto summa curationis scient. Medic. cap. 178. Venetiis 1458 in fol.

(*c*) HALLER Bibliot. Chir. T. 1 pag. 148 Bernae 1774 in 4.

commendat. Ventrem, vulvam, renes cum oleo de camomilla, de lilio, seu de spica illinire; nec non momento partus patientem immobilem sistere, atque os matricis praesertim si mulier vel sicca, vel stricta fuerit humectare: etsi nihilominus haud prodeat infans, sternutamenta etiam afflictionis tempore adhibenda proponit. Quod si, excusso foetu, atque secunda, dolores puerperam exercere non desinant, quibus sedantur, remedia indicavit. His autem non concluduntur limitibus huius praestantissimi VIRI praecepta. Multa alia sunt ab IPSO pertractata. Verum & leges scribendi vetant, nostrique ingenii defectus satis superque Clar. DE BRAMBILLA (*a*) supplevit.

Longe vero melius de Obstetricia meritus est ARNALDUS (*b*), quem pro celebri VILLANOVANO immerito habent, ut monumenta satis luculenter ostendunt (*c*), qui omnibus illis, quibus Medicinam, ar-

---

(*a*) BRAMBILLA opus cit. T. 1 pàg. 40.

(*b*) ARNALDI opus cit.

(*c*) Dalla grande Cirugia di GUIDONE stesso ricaviamo, che fioriva egli dal 1340 al 1360, mezzo secolo circa dopo il decesso d' ARNALDO de VILLANOVA. Ora se l' Autore del *Breviarium Practicae*, che senza dubbio egli era pure un ARNALDO. citò la Cirugia di GUIDONE, è chiaro, che non devesi confondere con il Celebre VILLANOVANO, e che così la Medicina Italiana fa acquisto d' un Autore non isprezzabile di più, che merita d' avere un luogo distinto e nella serie degli ARCHIATRI Pontificj dell' AB. GAETANO MARINI, e nella Storia della Letteratura Italiana del CAV. TIRABOSCHI. Veniamo alle prove. *Quidam Sacerdos* [dic' egli nel Breviario lib. 2 cap. 45 in fol. *mihi* 215] *cum hoc experimento abstulit mihi de manibus plusquam C. porros. Ivi ad eum. & ipse coepit me tangere cum manibus, & porros tangebat manuum mearum: & ibi faciebat signum Crucis: & dixit mihi recede: & in proximo liberatus eris: & statim ivit ad Paritariam* [*erba*]*: & flexis genibus dixit coram eam. Pater noster totum: & cum deberet dicere. Sed libera nos a malo. Dicebas. Sed libera ARNALDUM a porris, & verrucis, quas in manibus habet &c.* Veduto il nome d' ARNALDO citato dall' Autore parlando di se stesso, vediamo adesso d' onde ricavasi, ch' ei fosse Medico del

temque Chirurgicam amplexus eſt, ſic rem noſtram coluit, fecitque viribus, ut sane nil ſit quod faciam libentius, quam eius verba referre, utpote quae CELSI, ſive ut potius dicam naturae ſuffulta doctrinis appareant.

In primis igitur, & ante omnia de praegnantium regimine in medium affert nonnulla haud penitus aspernenda. Hinc partum aggreditur. Et ſi enixa timida fuerit, a mulieribus tempore partus, quod plurimum praeſtat, hortari; ſi vero primipara, neque partum noverit, ab ipſis, quo recto modo doloris momento nitatur, doceri; ac denique ſi pudendorum ſiccitas adſit, humectari commendat. Exitum praeterea foetus *naturalem*, in quo caput erumpit, exiſtimavit; neque obſtari naturae, etiam ſi ambobus, neque diſtortis pedibus in mundum prodiverit. Quamobrem ſi retorti

---

Papa. *Pilulae, quas composui Papae Alexandro* [*l. cit. fol* 193 *lib.* 2 *cap.* 3] *optimae ad vocem deperditam reſtaurandam -- Quidam Iuvenis Nepos Papae Alexandri* [*Brev. lib. II. cap.* 13 *fol.* 198] *cum eſſet prope mortem propter vomitum immoderatum, qui non poterat reſtringi, fecit me vocare: & ego recepi &c.*; Ecco di nuovo ARNALDO primo Medico del Papa. in secondo luogo impiegato alla cura del Nipote del Papa medeſimo. *Quidam narravit* GUIDONI *de Cauliaco modum hoc* [*ibid. cap.* 30 *fol.* 205 *volum.* 4]. Ed ecco citato GUIDONE da ARNALDO medeſimo, se l' Autore del Breviario il fu anche dell' Addizioni. E qui termineranno le oſſervazioni, che mi prefiſſi di fare intorno a queſto Medico, che era senza dubbio Italiano, e probabilmente Napolitano, che passò lungo tempo in uno de' Monaſteri di Casanova de' Ciſtercienſi; che fu a perfezionarſi nella Medicina a Mompellieri, dopo d'aver seguito la pratica di M. GIOANNI CASAMIDA, o CASAMIZULA Medico Napolitano; che girò per la Lombardia, per la Toscana, e pel rimanente dell' Italia, di molti Medici della quale suoi contemporanei ci ha conservato i libri, e le ricette, il che svilupperò forse meglio a suo tempo, se altri con miglior ozio non vorrà aſſumersene l' impegno. MALACARNE VINCENZO delle Opere de' Medici. e de' Ceruſici, che nacquero, o ſiorirono prima del secolo XVI. negli Stati della R. Casa di Savoja Monumenti articolo secondo pag. 60 Torino 1789 in 4.

fint pedes, aut alia quomodocunque eius pofitio fuerit, in caput, aut in pedes, prout melior se praebet occafio, ab Obftetrice puerum converti oportere: & in pedes converso, brachia lateribus, ut naturalem exitum decet, iungenda proposuit. Quod fi foetus in utero mortuus fuiffet, tunc manibus, resecatis unguibus ut dictum fuit, extrahi, & fi minus succeffiffet, quam celerrime resecari opus effe putavit. Foetus vero hydropica affectione laborantes, magnitudine excellentes, bicipites, ut impedimenta naturae offerentes recensebantur ab ILLO; quin tamen nifi balnea, linimenta, atque fternutatoria proponeret. Secundam cunctantem manibus educebat: & fternutatoriis, aliisque fi opus effet remediis, usus fuit. Hisce omnibus recte perpenfis EUM tunc temporis Obftetricae disciplinae lumen fuiffe (praesertim fi scripta MOSCHIONIS, ut dubio locus remanet ILLI, & ITALIAE ante annum 1589 haud cognita erant) fatendum effe videtur.

Egregiam procul dubio dolorum descriptionem omnium primus GUAYNERIUS (*a*) paravit, qui fi enixam invaserint circa pectinem, eamque vehementer, & inceffanter exerceant (caeteris ad foetum bene habentibus) facile parituram dixit. Contra vero fi languentes tum intus, tum extus in ventre & in anteriora minus quam in pofteriora, remiffique pererraverint, partum *laboriosum* plerumque futurum pronunciavit. Partum praeterea *difficile* credidit, fi aliae corporis partes matricis osculo sese offerant primae; nec non fi membranae foetum involventes, citius quam opus erit, abrumpantur. Foetus non *naturalem* in *naturalem* fitum componit; emollientia commendat; secundam non secedentem educit.

Non undique vero ex antiquis scriptis veterum

(*a*) GUAYNERII ANTONII opus praeclarum ad praxim. De aegritudinibus matricis cap 35 pag. 169, & cap. 36 pag. 170. Lugduni 1534 in 4.

morem secutus; sed ex sola consignare natura maluit IOANNES MICHAEL SAVONAROLA (a) Patavinus Leonelli Ducis Ferrarensis Medicus, Cremisoni discipulus, & sane non indignus, cuius scripta, quae legi ab omnibus mererentur, quam rapida Obstetricae paraverit incrementa, testantur. Physiologicae quidem doctrinae ad rem nostram pertinentis fines dilatavit, auxitque, adeo ut caetera tunc temporis antecellere nobis appareat. Quid vero de iis, quae praxim attingunt, sentiendum, mox erit comprehendere. Nec quispiam huius AUCTORIS praecepta scrupulosius, quam instituto nostro fortassis conveniat, tractare miretur. Nam omnia memoratu digna extant, ideoque cominus rimanda, gnaviterque exequemur.

Tria interim partuum genera cognovisse demonstrat; *naturale* scilicet, in quo foetus exhibetur caput; non *naturale*, sed *multum naturali propinquum*, ubi prius non retortos pedes, aut a recto tramite non declinante capite manus emittit infans. *Malum* denique, & *praeternaturale* caeteris offerentibus partibus nuncupavit.

Signorum inde partus appropinquantis accuratiorem, quam nemo adhuc fecerat, historiam suppeditat. Talia enim sunt. Cum partus tempus accedit, venter ad inferiora incipit declinare, gravedinem sub umbilico, & in dorso, dolores in inguine, calorem in ventre, pudenda humidiora mulier persentit. Quod si perpetes acrioresque circa os sacrum, & in anteriora parituram dolores exerceant, & pondus magis magisque inferiora petat, atque humores maiori copia egrediantur e vulva, tunc partum non longe futurum iudicabat.

(a) SAVONAROLAE IOANNIS &c Practica maior &c. Rub. 33 pag. 267, & 268. Venetiis 1561 in fol.

Cum postea foetus sit descensurus in pelvim (quod maioris momenti res est) parientem dixit supra sellam ponendam, atque linteis calidis hiemali tempore coopertam sustinendam. Hinc oleo seu de lilio, vel de amygdalis dulcibus pudenda, ut manus immitti possit, iniungenda, cuius ope, quae sit infantis positio, comprehendatur, quae si ritui naturae respondet, naturae relinquatur. Modo autem removendo, modo reducendo (quod satis aperte probat partus mechanema novisse) deflectens caput reducebat.

Quot vero multis, ac pene dixerim innumeris difficultatibus naturam in partubus turbari posse crediderit ex iis, quae dicturi sumus, colligitur. Animadvertit siquidem id evenire posse, quando primum suapte natura mater aut propter aegritudines viribus destituta fuerit, aut quod timida, & partubus non assueta, vel dolores invito sustinuerit animo. Idem quoque dicendum, inquit, si pudendorum siccitas adsit, & si membranae foetum involventes aut serius, aut ocyus frangantur: & urina in vesica, & faex in intestino recto detenta manserint, atque haemorroides; quibus omnibus, & aliis, quae omittimus tam accurata medendi methodus, quam & hodierna confirmavit observatio, coniungitur.

Ast vero id quod mirum vere est, forte frigus membra matris coarctare, fortemque calorem debilitatem fovere credidit: & aromaticorum, stipticorumque usum (utpote quae irritabilitatem augent) reiiciendum commendat. Nonne ergo usque adhuc relata miro disposita ordine apparent? Nonne pleraque restaurata, aliaque vero nova, & ex propria observatione deducta?

Quod si difficilis factus descensus ex prava reliqui corporis positione gigneretur, ut uno tantum prominente pede solet evenire, Obstetricem illico unctis manibus reponere pedes praecepit, posteaque caput in naturam inclinare; & cum id consequi non valeat,

ambobus apprehensis pedibus leviter educat. Manuum, oleorum, caeterorumque emollientium subsidio immodicis, & mortuis succurrebat foetubus. In extremis etiam ad uncos, tenaculaque confugit.

In rebus Medicis, Chirurgicis, & praesertim Anatomicis versatissimus, ut sui temporis invidiam, posterorum admirationem sibi conciliaverit, IACOBUS BERENGARIUS Carpensis verum in partubus naturalibus situm explanat. „ Sic in partu naturali „ semper foetus habet os, & nasum in primo egressu „ a matrice ad culum matris, sive sit mas, sive „ foemina (*a*) ". Cuius sententiam non possum mihi inducere in animum, cur nonnulli extra ITALIAM, & praesertim RHODIONUS haud amplexi sint; cum immo HIC postremus icone pueri faciem antrorsum, ventremque, ac si supinus in caelum aspiceret exeundo ante oculos ponat (*b*).

Eadem quae usque ad huc retulimus, BONACCIOLUS doctissimus habet (*c*); quibus vesicam calculo affectam, flatubus intestina repleta, musculorum abdominis laesiones partum difficilem reddere auxit CAPIVACCIUS (*d*), nec non foetus in utero caput inferius graviditatis tempore morari eruditissimus VENUSTIUS (*e*). Egregiam vero foetus non vitalis extrahendi methodum licet magna ex parte a CELSO depromptam suppeditat IOANNES ANDREA A CRUCE (*f*): partes, quibus infans ad exitum sese

---

(*a*) BERENGARII Carpensis comment. cum amplissimis addit. super Anat. MUNDINI Vol. 2 pag. 265 Bononiae 1521 in 4.

(*b*) RHODIONIS EUCHARII &c. De partu Hominis cap. 2 Tab. 7 pag. 9 Francofurti 1532 in 8.

(*c*) In SPACHII collect. BONACCIOLI ENNEAS muliebris.

(*d*) CAPIVACCII opera omnia lib. 4 De affect. uteri cap. de difficult. partus pag. 696 Venetiis 1617 in fol.

(*e*) VENUSTI ANTONIO MARIA. *Discorsi intorno alla generazione cap. 56 pag. 137. Milano* 1614 *in* 8.

(*f*) GIO ANDREA DELLA CROCE *Cirugia universale perfetta lib. 5 cap. 2 pag. 216. Venetia* 1605 *in fol.*

valet offerre, multiplicavit felix Chirurgus, insignisque Anatomicus CASSERIUS (a).

Paullo autem postea inter principes Medicos habitus, immo etiam ex genio saeculi, ut TU ILLUSTRISSIME DOMINE (b), una cum Praestantissimo HALLERO (c) probe confirmas, floruit HIERONYMUS MERCURIALIS (d) Professor Bononiensis, Patavinus, atque Pisanus, qui quidem physiologicam ad rem nostram doctrinam, nec non graviditatem, & partum tam erudite descripsit, ut aequari difficillime superari a nemine ullo modo potuerit. Atque hinc, ut partus ipsemet nuncupari possit *naturalis*, peculiares conditiones requiri arbitratus est; quod nimirum statuto tempore fiat (in quo fere omnia mutuatus est ab antiquis, proindeque ipsorum culpa non vacat), ut exeat exitu naturali; ut lenibus accidentibus, debitisque purgationibus absolvatur; Quarum aut una, aut pluribus deficientibus conditionibus vitiosi nomen assequitur.

Si itaque in egressu (nam prima conditio praetermittitur), inquit, naturam lubeat considerare, nullum partum eo faciliorem, in quo caput primum se se offert, videre erit; nam foetus prius erumpentes pedibus, licet minus in periculo versentur, quod caeteris haec figura proximior sit ritui naturae, tamen nisi magna adhibeatur diligentia brachia frangendi periculo consociantur: & manus aliaeque partes difficilem reliquo corpori exitum parant. Spectentur idcirco, subiungit, naturae tantum progressus in partu naturali, & in partu ob pravam infantis positionem

(a) CASSERII Tabulae Anatomicae in ADRIANI SPIGELII opere contentae pag. 31, & seqq. Amsterdam. 1755 in fol.

(b) BRAMBILLA opus cit. Tom. 3 pag. 61, 62 & 63.

(c) HALLER Bibliot. Med. pract. Tom. 1 pag. 96 Basileae 1779 in 4.

(d) In SPACHII collect. HIERONYMI MERCURIALIS Forlivensis. De morbis mulier. lib. 1 & 2.

vitioso, ut in figuram naturalem, aut in naturae proximiorem foetus inclinet, conservetur, sustineatur, donec totus exiverit. Ex dictis ergo constat, quod si puer ambobus pedibus in lucem prodeat, non mutanda figura, sed brachia corripienda, atque ea lateribus extensa blande, leniterque ducenda; & si unum tantummodo pes extra uteri osculum manserit, non vi trahendus, quia periculum foret, ne laxaretur, vel flecteretur, vel corrumperetur: sed melius infixis ad inguen digitis sursum revocetur, & postea immissa manu pes alter colligatur, atque totus blandissime educetur foetus. Quotiescumque eruperint manus, non sunt manus ipsae tractandae, sed complectantur humeri, retineaturque foetus, donec retractis manibus caput apprehendatur, & paullatim, leviterque educatur. Quod si una tantum promineat, nunquam eam Obstetrix adducat. Praestat potius ipsammet retropellere, atque, ut occasio tulerit, foetum aut in caput, aut in pedes convertere. Si denique duplicatus, & praesertim natibus prodeat, & si caput una cum pedibus offeratur, pedes revocentur sursum, teneatur caput, atque extrahatur.

Quod vero ad alias naturalis partus conditiones attinet, IPSE maiorum vestigia tenet, ac proinde non inutiliter eadem repetenda. Interim tamen, quam maximo Obstetricae praxi emolumento fuerit, admiratione corripimur.

Nunc silentio praeterimus HIERONYMUM FABRICIUM AB AQUAPENDENTE (a) Chirurgum omnium sententia honoratum, qui manu in uterum, & digitis inter placentam, & uterum immissis secundas statim a partu non secedentes leniter separabat, ac postea educebat, statimque ad IULIUM

(a) FABRICII AB ACQUA PENDENTE opera Chirurgica cap. 87 pag. 581, & 582 Lugduni 1723 in fol.

CAESAREM ARANTIUM (a) Bononiensem properamus. IPSE quidem mortalium primus salutare ad artem nostram consilium coepit non omnem penitus felicitatem, sive ut rectius dicam, non omnia, quae partum naturae conatibus absolvendum impedimenta turbare possunt, a caussis iam cognitis oriri, verum etiam a prava ossium conformatione quam maxime pendere. Observavit interim, quod si eadem ossa probe fuerint conformata, neque magis, neque minus, quam necesse sit antrorsum, porrigantur, proindeque concavum, quod convexo subiicitur, iusto spatio abesse sacro recedat, vel quod nostris hisce temporibus, idem est, diameter anterior-posterior, nec longitudinem, nec brevitatem violet, foetus (caeteris bene habentibus) naturaliter per pelvim transgredi posse; & licet interdum duplicatus, aut praeter naturam positus mansisset in utero, haud plurimum in partubus afferri discriminis, quod facilis, ad ipsum corrigendum, Chirurgis aditus pateret. Quod si ossium pubis arcus antrorsum dimidium curvatura circulum non formet, sed ad lineam rectam potius accedat, & convexitate sua in morbosum concavum mutetur, tunc diameter anterior, quod natura praescripsit, adeo spatium amittere, ut foetus solidiore praesertim, ac maiori capite donatus in lucem prodire, & Obstetricis manus ob locorum angustias opem afferre non posset, sibi visus fuit.

Qui post ARANTIUM considerandus venit ipsius ARANTII discipulus SCIPIO MERCURIUS (b). Magni quidem laboris, ac temporis illius scripta, ut non in alium tunc ceciderit opus tam absolutum ac

---

(a) IULII CAESARIS ARANTII observation. Anatom. lib. cap. 39 pag. 105, & 106. Venetiis 1587 in 4.

(b) MERCURIO SCIPIONE – *La Comare, o Raccoglitrice.* *Verona* 1652.

perfectum (*a*), & urbanitas summa apparet, non mediocris doctrina. Brevem in primis, sed accuratam genitalium partium descriptionem cum figuris VESALIANIS, & adnotationibus prorsus non inutilibus suppeditat, quamque rimari haud utile modo putatur. Perpendere solummodo praestat membranam allantoideam IPSUM negare, & uracum contra IACOBUM RUEFFUM ligamentum esse defendere. *Ma per dimostrare più chiaro l' errore di questo Scrittore intorno alle tre membrane fa di bisogno saper la cagione, che indusse la natura a fare che gli animali abbiano l' allantoide, e non l' huomo. Se l' huomo avesse nella vessica quel meato dell' orina detto uraco, che nasce dal fondo di detta vessica, ed arrivata tra le due membrane, che coprono il fegato, ed ivi allargatosi in una grandezza notabile, si forma in guisa di vessica; e contiene l' orina de' bruti sino al parto: chiara cosa è, che anco l' huomo avrebbe la terza membrana: ma nella vessica humana ne anco gl' occhi del lince vi trovarebbono l' uraco; adunque è impossibile, che abbia l' allantoide, che si forma da esso uraco* (*b*). Hinc physiologica ad rem nostram doctrina, & quo recto modo parientes ab Obstetricibus graviditatis, & partus tempore dirigi debeant, plenissime pertractatur.

Ad partus autem quod proprie attinet, naturalem dumtaxat, in quo caput cum facie retrorsum procedit haberi, caeterosque praeter naturam credidit. His igitur principiis innixus caput deflectens semper reducere, etiam si pedes processerint, iubet: nec pedibus foetum, nisi necessitas urgeat, extrahendum. Caesaream Operationem commendat: & ni fallor in ITALIA primus eius exequendi methodum descripsit. Partus Caesareos, ac postea foeminas concepisse iterum,

---

(*a*) BRAMBILLA opus cit. Tom. 3. pag. 78.
(*b*) MERCURII SCIPIONIS opus cit. cap. 4 pag. 20.

& peperisse, feliciter absolutos enarrat. Reliqua puerperarum, ac infantum in morbis versantur.

SAVONAROLAE, MERCURIALIS, SCIPIONISQUE MERCURII in naturalibus vitiosisque partubus praecepta refert vir eximius IOANNES BAPTISTA SORIS Alexandrinus, nec minus accurate, nec minus perspicue (*a*). Verum quod magis sui nominis celebritatem auxit, ut inter caeteros sui temporis prudentia, & praeclare gestis enituerit, Caesareae operationi debetur. Propria enim IPSE cognovit experientia (quod FALLOPPIUS (*b*), TAGLIACOTIUS (*c*) & ANDREAS a CRUCE (*d*) animadverterant) partium in abdomine contentarum vulnera licet admodum extensa, atque naturae tantum relicta crebro sanari: & in matrice nil, cuius laesione mors inferatur necessario, contineri, proindeque Caesareum vulnus quando agi non potest aliter, ut foetus in lucem prodeat, alacri animo infligendum commendat (*e*).

Duo post SORIUM eodem tempore Taurini vixere celeberrimi VIRI, & in rebus etiam, Obstetricis peritissimi: quorum primus in limine sedet. IOANNES BAPTISTA FANTONUS (*f*) Archiater Regis Sardiniae, & Anatomicus sane minime rudis, qui admirabili industria, atque prudentia genitalia instrumenta, generationem, graviditatis incessus & quidquid naturalis partus historia complectitur, perscru-

---

(*a*) SORIS GIO. BATISTA *Tesoro di Chirurgia cap.* 33 *pag.* 482 *& seqq. Pavia* 1632 *in* 8.

(*b*) FALLOPPII GABRIELIS Opuscula tria de vulneribus cap. 24 pag. 219. Venetiis 1569 in 4.

(*c*) TAGLIACOTII GASPARIS Chirurgia nova liber 2 cap. 3 pag. 452 & seqq. Francofurti 1548 in 8.

(*d*) ANDREAS A CRUCE opus cit. lib. 2 *Tratt.* 5 *cap. della matrice ferita pag.* 141.

(*e*) SORIS *Consigli & avisi più sottili dell' arte di Chirurgia cap.* 52 *pag* 193 *Milano* 1628 *in* 8.

(*f*) FANTONI IOANNIS Anat. Cor. hum Differt. X. De utero gravid. pag. 209 & seqq. August. Taurinorum 1711 in 4.

tatus est: ut „ omnino eruditi Viri, & modesti totum „ opus praestiterit legisse dixit HALLERUS (a). Hic est ubi stimulum qui " partum sollicitat, a foetus positura potissimum, ac parturitionis vires ab infante, & enixa, atque huic magis, quod etiam mortuo foetu res tota conficitur, indulgendum, pendere considerat. Funiculum nullo perstrictum ligamine, plerumque secari, nulloque periculo posse existimavit.

Ipsius alter Regis Sardiniae Chirurgus PETRUS SIMON ROUHAULT (b) complura, quae ad perficiendam artem nostram adiumento sunt minime contemnenda exaravit. Dolendum sane, non eo, quo alia prosecutus est animo, universam artem nostram pertractare IPSUM haud potuisse, aut noluisse. Placentam ILLE vasis sanguiferis ornatam, penitusque constructam, tribus foetum circumdari membranis, foetumque non ore, ut veteres credidere, non succo lactario, ut nuperiorum mox erat opinio, sed solo, qui per funiculum ipsi, & sola arteriarum funiculi supra venam potentia vehitur, sanguine nutriri affirmavit. Hinc MERY sententiam, non quod aliqua sanguinis pars in breviorem circulum moveatur, verum ut dexter ventriculus, dexteraque auricula reddantur ampliora, & ut sinistri vires cum dexteris ad dilatanda corporis vasa conveniant, tuetur. Partum denique non ab utero nimis adaucto, non a necessitate respirandi foetus; sed uterum ipsum a fortiori tantum vasorum placentae tractione ad contrahendum propelli sibi finxit in animum.

Nuperiorum profecto qualis ad promovendam artem nostram, quantaque fuerit solertia Scriptorum, satis

---

(a) HALLER Bibliot. Anatom. T. 1 pag. 804 Tiguri in 4.
(b) ROUHAULT SIMONE PIETRO *Osservazione Medico-Fisiche. Torino 1724 in 4.*

satis iam dicta demonstrant. Verum adhuc non parum aberat rebus obstetriciis, ante quam magnum illud, quo in praesens fruimur lumen utillime sese effunderet. Id ITALORUM debebatur ingeniis, idque laboribus in primis IOANNIS BAPTISTAE BIANCHI Taurinensis acceptum habemus, qui naturalis in humano corpore, vitiosaeque generationis descripsit historiam (a), eamque tabulis illustratam, nobis veluti novum spectaculum obtulit.

Et quo ad primam attinet, ova, & germina ante omnes generationes fuisse credidit, eaque gradatim maturescere, & matura foecundari, & foecundata a calicibus expediri, & per tubas in uterum labi. Foetum prius per umbilicalia vasa nutriri, amniique liquorem postremis graviditatis temporibus in oris caveam ingredi posse aliquando, & mox in ventriculum sibi sternere viam, pro certo habuit. Foetus, ac funiculi incrementi leges a conceptionis momento ad graviditatis finem enucleantur ab IPSO. Foetum volvi, sed tempus, quo in caput vertitur, fortuitum dixit, incertumque: foetum denique suis potissimum viribus in lucem prodire.

Modo secundam expendamus. Potest in primis natura ab illo naturali motuum actionumque concentu deflectere, si ovaria validiori, quam oporteat tunica obvoluta ova tueantur firmius, aptiusque contineant: unde potissima ovariorum graviditatum caussa petenda est. Possunt etiam tubae frequentius generationem vitiosam producere. Possunt, si absolute peccaverint, & negative. Possunt negative, si ob nimiam ab ovario distantiam, & libertatem non firme, aut non recte

(a) BIANCHI IOANNIS BAPTISTAE. De naturali in humano corpore vitiosa, morbosaque generatione Historia pars secunda pag. 68 & seqq. Augustae Taurinorum 1741 in 8.

satis cum ovario ipso cohaereant, aut si cohaerent, citius antequam ovum in tentorii orificium ingrediatur, removeantur. Possunt absolute, si vere nimia longitudine, tum maxime flexuosa, & ut pene dixerim, labyrinthica donentur habitudine, & inaequali capacitate: nec, non si ipsarum orificia, tum quae uteri fundo respondent, tum quibus tentoria ipsa donantur, valde obstricta, & angusta manserint. Quibus omnibus, & aliis, quae brevitatis gratia silentio praeterimus ova ab ovaria egredientia a tubis non excipi, proindeque in abdominis caveam labi oportere, aut si excipiantur in uterum haud traduci posse colligitur: ex quo pariter tubarios, ventralesque morbosos conceptus originem duxisse credidit.

Cum itaque in ventralibus graviditatibus ad maturitatem pervenerit foetus, atque in lucem exire conetur (nam id dolores ostendunt) eum ipsum Caesarea operatione, si abdominis superiora teneat, illico educendum; sin vero inferiora, sectionem, nisi multis perpensis rationibus, cum & loci, & foetus undique cohaerentis natura praesertim minus tuta sit, minusque auxilietur, haud permittendam, & permissam in perinaeo veluti ad extrahendum calculum potius infligendam proposuit.

Statim autem & prompte supra diximus Auctorem nostrum operationem aggrediendam dixisse. Et revera nisi perficiatur foetum mori, & mortuum, aut putrescere, aut exsiccari omnes plane cognoscunt. Quaenam tunc consilia capienda. Naturae forsan, aut eorum qui ipsius voces non audiunt, vestigia teneremus! In tanta rerum gravitate alias feliciter suis viribus omnia praestitisse naturam, alias quid facere oporteat monuisse Auctor noster observationibus confirmat. Idcirco si mortuus foetus corrumpatur, & a corruptione in umbilico, ut saepe saepius evenire solet, abscessus excitetur, eum Caesareae sectionis ad instar non sine gravi ratione aperiendum, foetumque educendum pro-

posuit: Chirurgi pariter naturae, dixit, opitulari munus esse, si in iliacas, aut integer, aut membratim, vel in inguinum regiones exire conetur, nec non si per communem naturalem hiatum seu anum signa suppeditat.

Quod si contra in quavis tum superiori tum inferiori ventrali graviditate in exsiccationem abeat infans, licet magnum illud, quod funiculi ope asservatur, commercium videatur ablatum, quaedam tamen inter matrem, & filium superest vitae consensio. Hinc est, ut iure ac merito Auctor noster foetum ipsum haud penitus extraneum corpus esse, neque idcirco corruptionis legibus obtemperare crediderit. Hinc ut totum naturae relinquatur opus, quae nisi nova super accedente graviditate uterina vexetur, matrem vix ullo affici sinit incommodo, diuque vitam degere posse, commendat.

Non hic certe (inquit IPSE), non hic, quae generationem vitiosam producere valent, omnia sunt. Uterus etiam, & praesertim si hernioso fuerit morbo correptus ipsius generationis leges evertit, molas nimirum producit, & monstra, abortum facit, partumque tardiorem: quae non solum observationibus comprobata, verum etiam per partum naturalem aliquando soluta omnibus patet. Patet insuper, quod nisi solvantur, ut ventrales, ipsa quoque putrescere, aut exsiccari: & in putredinem, aut exsiccationem habita, tum quibus de partu Caesareo mox erit dicendum rationibus, tum quod foetus diuturno, molestaque graviditate gestatos, per partum naturalem adhuc vitales editos, tum quod corruptos per naturalem viam seu per anum integros, aut membratim exire, tum quod vix ullo incommodo, etiam exsiccatos gestari, tum demum quod mortuum, diuque incorruptum foetum post novam gemellorum conceptionem, ac gestationem, una cum iis naturali, sed tardo admodum partu exclusum fuisse viderit, naturae viribus commisisse. De caeteris profecto, sive vivi sive mortui, quique vel matura, nec ne gravidi-

tate gestati fuerint, quacunque de caussa per scissuram in uteri fundo, aut in cervice, aut etiam in superiori vaginae parte contingentem abdominis caveam petiverint, aliter sentiendum commonet; nam semper experientia tantum uteri eiusque partium vulnus, etiam si per Caesaream sectionem educeretur foetus, nunquam matri pepercisse IPSI compertum fuit.

Porro autem quod ad tubarios, ovariosque conceptus pertinet, nec non qui inter ovarium, eiusque subcingentem tunicam, & in exteriorem tubae caveam, seu tentorium sedem habent aliquid pro ratione exitus inesse discriminis: ovarios scilicet, nec immerito semper lethales haberi; plerumque tubarios, ex eo quod foetus exsiccationi ovariorum substantia maximo, tubarum autem minori impedimento sit: caeteros plerumque non esse mortiferos, ac diutine tuteque gestari posse relatae ipsius observationes ostendunt.

Modo nonnulla de partu Caesareo dicenda forent. Ast iam multa retulimus. Tantum idcirco animadvertere praestat AUCTOREM nostrum Caesaream reiecisse sectionem, neque satis certo administratam credidisse. Atque ut suam tueatur sententiam, vulnus, quod ovariorum, tubarum, uterique conceptus respicit, lethiferum ob enormem ovariorum, tubarum, uterique praegnantis ampliationem, dilatationemque appellavit: neque ipsum quidem nisi multis perpensis circumstantiis, quod ventralibus caeterisque graviditatibus prospicit permittendum voluit: voluit nempe solum in exterioribus ventralibusque conceptubus, ubi foetus ad maturitatem pervenerit, & signa exeundi suppeditet, huiuscemodi vulnus esse necessarium: voluit insuper ex dictis in exsiccatis foetubus perniciosum haberi: mortiferum denique scilicet infans ad maturitatem pervenisset principalibus tamen abdominis visceribus fuisset adnatus, immersus, atque cohaerens, ut ipse, quin viscera, vasaque maiora abrumperentur, divelli posset, nuncupavit.

Tandem aliquando ad AMBROSIUM BER-

TRANDIUM (a) Caroli Emanuelis Sardiniae Regis Chirurgum pervenimus virum profecto in arte celeberrimum toti litterario orbi notissimum, atque uno verbo ad illustrandam disciplinam Chirurgicam, & Obstetricam natum, quem adhuc florente aetate, de vita paucis abhinc annis decedentem amisimus. Cum IPSE itaque Taurini in Nosocomio Divi Ioannis Baptistae primarii Chirurgi, & Obstetricis fungeretur officio; & naturae progressus observandi & cum ipsa Obstetriciuum libros conferendi haud ILLI defuerunt occasiones; hinc evenit, ut cum Chirurgiae, tum Artis nostrae praecepta in illius urbis Universitate tradere munus iniisset, ipsammet naturam edocuerit. Dolendum idcirco est quod huius tanti VIRI praecepta ad utilitatem etiam exterarum gentium ante annum 1790 in lucem minime edita fuerint; licet ITALORUM quam plurimi usque ab anno 1762, calamo possiderent, iisque ad erudiendos iuvenes uterentur, exarata. Ipsa vero in praesens prae omnium manibus sunt, & quid boni contineant omnibus patet: quamobrem ea in medium non afferre putamus. Ad hoc tantum scire praestabit, omnium Primum observasse femoris caput in foramine ovali propter luxationem positum foetus exitui obstaculum invincibile offerre posse; ac de membrana flocculenta, sive HUNTERI decidua pluribus in locis meminisse. Ei tanti momenti doctrinae de obliquitate uteri ab ASPASIA, & MOSCHIONE prius a DEVENTERO postea ad trutinam revocatae, atque earum, quae ad placentam sunt habendae rationes, dilucidatio maxima ex parte debetur. Pedibus a recto naturalique tramite deflectentem semper educebat foetum, atque illud, ex quo suae praxeos felicitas petenda est, raro instrumentis etiam obtusis usus fuit.

(a) BERTRANDI AMBROGIO *opere Anatomiche, e Cerusiche Tom. 8. Torino 1790 in 4.*

Crassioris profecto ignorantiae titulo, aut saltem ingrati animi vitio signarer, nisi hic de Praeceptore meo VINCENTIO MALACARNE (*a*) verba fecissem, cuius consilio allectus, eruditione edoctus, libris rarioribus instructus, hoc opusculum plenius, alacrius ad calcem adduxi: Huic ob humanitatem in me summam, insignem ob doctrinam toto ex animo gratus devincior. De attactu, quem IPSE Explorationem dixit, librum anno superiore exaravit, in quo tangendi modus, usus, atque necessitas plenissime scribitur, ut inter caeteros, qui de hac re scripserunt, Auctores, longe praestare fatendum omnibus sit.



(*a*) MALACARNE VINCENZO *Esplorazione proposta come fondamento dell' Arte Ostetricia. Milano* 1791 *in* 8.

OMnibus, qui vix a limine Obstetriciam salutaverunt disciplinam, notum est, mulierum ventrem extrema properante graviditate paullatim imminui, atque decidere, adeo ut interdum Obstetricibus ipsis primo inspectu dubium de ipsa graviditate relinquatur; neque ipsis pariter ignotum est, id consequi profecto non posse, quin foetus, qui superiora tenebat abdominis, ad inferiora admoveatur. Verum & si haec omnia ipsorum nemo non ignoret, eaque licet complures, & ut pene dixerim tota Obstetriciuum cohors tanquam phaenomenorum initium, quae ante partum accidere solent, fateantur, nihilo tamen minus (ni fallor) partui perutile esse, prudentissimumque naturae consultum, ut foetus in lucem prodiret, qua maiori fieri potest facilitate & ipsi, & matri, nunquam dictum fuit. Nos vere ita rem se habere credimus, ut plurimum conferant. Vix porro incipit depressio abdominis, statim & ipse sequitur maior diaphragmatis motus, atque libertas, quod idem ac dicere est, respiratio facilior evadit, sanguinisque per pulmo-

nes circuitus; ex quo fit ut foemina facilius, dum partus imminens eſt, in partum ipsum nitatur. Aſt his non concluduntur limitibus commoda, quae ab uteri pendent descensu, nonnulla adhuc alia remanent, & quidem non minoris momenti; ultimis enim graviditatis temporibus ob maiorem tum in urethra, tum in vagina, tum in uteri cervice secretorum humorum copiam, & quantitatem genitalia foeminarum madidiora fiunt, adeo ut interdum in terram depluant, fluoremque album mentiantur. Quae nam haec omnia sunt, niſi naturae consultum, ut cervix uteri dilatetur facilius, utque vagina laxabilis, & universa ab utero semita mollis, lenis, & lubrica ad faciliorem foetui praebendum exitum reddantur? Unde nam horum omnium cauſſa, niſi a vasorum, quae revehunt sanguinem, eorumque praesertim, quae e pelvi egrediuntur, compreſſione, & compreſſio, niſi ab uteri tunc temporis descensu petenda? Quod ſi quispiam assertum contenderet, atque hanc in abdomine mutationem, ex eo quod urinaria veſica, & inteſtinum quoque rectum provecta graviditate comprimantur, ut frequenter urinae faecisque egerendorum deſiderium nasci, aut alias eorum excretionem impeditam viderit, moleſtam damnosamque appellaret, observet quaeso mecum, haec in iis plerumque foeminis, quarum pelvis nimia peccat latitudine evenire, & ſi in caeteris (quod leviſſimum eſt, & cum maximis adnotatis utilitatibus minime comparandum)

accidant, in his, veluti in illis sive fascia abdomini superimposita, sive ad horizontem respondente situ facile coerceri, tuteque moderari posse.

Hoc igitur dum simplicissimo in foeminis modo, ut in reliquis viviparorum partubus viarum praeparationem, quam certe humano artificio haud consequi valeremus, provida multos ante partum dies molitur natura, mulieres nonnullae, & praesertim primiparae modo magis, modo minus, prout ipsis nervorum conditio, nec non, quibus aliae in partubus oppressae fuere parientes, infortuniorum cognitio est, anxietate, ceu quodam corripiuntur timore, ut caeterorum fere animalium ad instar domus latebras petant, cibum, ac potum recusent, & auxilium quasi fastidium sibi ipsis afferri videatur. Eodem autem tempore, sive alias paucos ante partum dies, frequentius autem dumtaxat horas paritura mulier circa renes dolores percipere solet qui per vices ingruentes uterum percurrunt, quique passim adaucti, pubem versus, & os sacrum producuntur. Hi porro levissimi sunt, parum perdurant, sed molestissimi quoque, & iis praesertim, quae partubus non assuetae, quaeque maiori sensibilitate donantur. Hisce iuvenes foeminae primave gestatione praegnantes, quibus adhuc vaga de doloribus idea est, summopere hallucinantur, partum scilicet propinquum annuntiant, antequam reapse proximus sit, Obstetricem idcirco petunt sollicite, quandoque etiam variis nixibus agitantur: id

quod nunquam vel saltem rariſſime iis foeminis, quae iam plures ediderunt filios, contingere observatur. Quod vero horum (ut aiunt) *praesagientium dolorum* ad geneſim pertinet, aeque ac illi, qui *veri* ſive partum *efficientes* ab Obſtetricibus nuncupantur, eiusdem generis eſſe, eiusdemque naturae fateri oportet neceſſario. Nascuntur ſiquidem iſti a fibrarum uteri contractione, & quae ipſis offertur reſiſtentia; contractioni pariter uteri, & reſiſtentiae originem illi debent, & cauſſam. Neque quod inter se patiuntur discriminis, aliud eſſe videtur, niſi robur, & mora, ex quibus efficitur, ut *praesagientes* ipſi ne minimum quidem quod tactu percipi poſſit, plerumque afferant, licet reapse eorundem ope parietes cervicis uteri paullatim complanentur, atque ipſius osculum senſim senſimque reseretur.

Paullulum hinc vero diſtante labore, quo hisce *praesagientibus doloribus* paullo magis adauctis, & cum vi deprimente in uterum, & muliebria tendentibus praegnans cruciatur, matricis os, quod in vagina adhuc alte prominebat magis magisque demittitur; iisque ingravescentibus, ac deprimentibus humorem viscidum glutinosum interdumque etiam rubro sanguine tinctum e vagina profluere conspicitur; quique licet fluxus fere semper (nec immerito) imminentis laboris indicium exiſtimetur, nihilo tamen minus interdum nonnullos ante partum dies supervenire visus fuit.

Quae usque adhuc retulimus alia partum

aliquot iam hebdomadis, alia diebus, alia tantum horis antecedere solent. Verum enim vero non minoris equidem ponderis, ne silentio praetermittantur, nonnulla alia videntur esse phaenomena, quae sive propter consensum cum utero, aut compressionem, aut alia non satis perspicua de caussa iam iam veri laboris imminente tempore vicinia uteri nobis consideranda suppeditant.

In primis igitur urinae incontinentia, aut & frequentior mictus ea sunt, quibus nunc temporis saepissime puerperae vexantur: quae licet frequentiora, & aliquid per se molestiae afferant, partui tamen optime conducunt. Quis enim non videt, quo magis est urinae vacua vesica, eo magis per pelvim facilem foetus descensum reddi?

Caetera vero contra, scilicet dolores vesicae, spasmi, disuria, ischuria vera, quibus pariter puerperae corripiuntur, huic felicitati sunt noxia; sed quod maximum bonorum est, rariora etiam sunt. Rara enim vitia conformationis pelvium, & rara foetus capitis in utero prava positio, & eo minus noxia, si dum in foemina, ut in villicis contingant, quae pauca sensibilitate sunt donatae.

Quum igitur his mulier incipiat vexari, & compressione maior caeterarum caussarum concursus & effectus habeatur, multum a pharmacis in huiuscemodi casu sperandum est, quae Medicina prodit: non debet attamen negligi, ut minuatur, vel prorsus auferatur compressio

illa, quae potentioribus caussis comitantibus tantorum est fons malorum.

Si autem haec contra potius a compressione, quam a caeteris caussis procedant, aequius ab eius diminutione (id quod assequemur mulierem horizontaliter collocantes, & in superiora manu caput foetus impellentes) quam ab internis pharmacis sperandum erit. Et si quid ex hisce detrimenti partui oriretur ab eorum pertinaci vi, oportet in ischuria cathethere uti; in caeteris vero phaenomenis fortioribus internis remediis, ut Artis est, & occasio postulat.

Neque aliter profecto, quod ad caussas attinet, diiudicandum est si hoc ipso tempore terque quaterque, nec ne, mulier alvum deponat. Optimum vero ut partus felicitati consulat, hoc a natura praestitum est, optimumque ab aliquibus, qui ipsius naturae defectu iubent foeminae aut uno, aut pluribus clysteribus emollientibus, aut leniter purgandi facultate donatis ima intestina protinus elui; nullis siquidem rectum praesertim scatere faecibus, quae in eo concretae partum retardare, doloresque augere queunt necesse est; Optimum inquam ab aliquibus factum, namque irritationes ita non tantum mitigantur, faecesque removentur retentae, verum etiam ad dilatationem vicinia magis magisque disponuntur; dico praeterea protinus, cum protracto labore inanes prorsus, ne dicam damnosi, ex eo quod excipi ob compressum intestinum amplius non possint, clysteres evenirent.

Hisce vero expofitis, quibus tirones ftudere deberent quam maxime, ne nimia feftinatione partum praematurum excitent, quem avertendi satagere debent, ea nunc operae pretium eft, quae *verum*, ut aiunt, *laborem* comitantur, phaenomena exponere. Verum antequam id aggrediamur, nonnulla prius de *doloribus*, qui partum comitantur, in medium afferre non pauco emolumento effe credimus; his fiquidem quae in pofterum dicturi erimus, perceptu faciliora reddentur.

Dolores profecto ad partum naturalem edendum sunt neceffarii, immo *dolores* ipfi & *conatus* praecipuam veri fic dicti *laboris* partem conftituere omnes aperte teftantur Obftetrices. Aft quamvis foemina, quin *doloribus* crucietur, reapse secundum naturam parere non poffit, tamen *dolores* omnes in extrema graviditate, quamvis vividi diuturni, & per vices veluti ftatuta lege parituram aggrediantur, proximi partus figna semper haberi inferendum non eft. Varia, & interdum etiam inter se invicem oppofita hoc tempore *dolores* producere valent, quamobrem, qui ab uteri actione originem ducunt, iure meritoque *veri* five partum efficientes, caeterique omnes *spurii*, seu *falfi* dicti fuere, quorum primis indulgere, reliquos vero sedare opus eft.

Dolores itaque *veri* a lumbis incipiunt inde per totum extenduntur abdomen, ac denique in pubem, & os sacrum finem habent; id quod ipsos ab uteri fundo nasci, & in cer-

vicem protrahi satis aperte demonstrat. Alias autem contra (quod rarissimum est) umbilici, aut hypocondriorum arcentur finibus, alias tantum femoribus insident. Hi porro a *praesagientibus*, ut diximus, non tantum vi, moraque differunt, sed quoque differunt inter se. Primi, qui primo *laboris* urgent initio, sunt omnium leviores, brevioresque, & longiora intervalla reliquunt. Progrediente *labore*, sensim sensimque crescit ipsorum vehementia, diutiusque perdurant, ac brevissimis temporis dividuntur momentis, adeoque crescit, ut sanguinem commovere non tantum, verum etiam vehementi pressura, & acerbitate totius corporis, ac praesertim genuum, artuumque inferiorum concussionem tremoremque excitare queat.

Quod si in iis, quae partum non cognoscunt, quaeque magno corporis robore sunt praeditae, foeminis, ab hoc communi peragendi methodo natura discesserit, ut extremo *labore leviores dolores* vividioribus misceantur alternis, proindeque partus tardior reddatur, cavendum, ne *dolores* isti, quorum effectus consistit in eo, quod uteri cervix dilatetur, eaque dilatata foetum propellant in lucem, excitentur a nobis, neque avara manu (ut mox fusiusque erit dicendum), matricis hiatum obliniendo eiusdem dilatationem intempestive promoveamus. Namque in partu tardiore (dummodo mora nullo gignatur morbo) quam quae celeriores, melius se habere postea observatio monstravit.

Cum vero foeminam *praesagientibus* paullulum vividiores, crebriores diuturnioresque exercere *dolores* incipiunt, ut contractionis momento matrix dura sese attactui exhibeat, *genuinis* ipsam premi *doloribus* dubitandi locus est. Ast ficuti parientes nonnullae, quae iam plures ediderunt foetus, vix interdum per *dolorum* iam commemoratos gradus gradatim percurrere visae sunt, & statim ac paullulum acerbi, vehementesque *dolores* ipsas urgerent, quin tempus ad partus necessaria comparandi superesset, foetum in lucem propulerunt, & sicuti alias validiores etiam *dolores*, qui a vulgo ut proximi partus signa tenentur, in iis, quae nondum pepererunt, foeminis, vix aliquam contractionem insufficientem & fugacem comitem habuerunt, adeo ut proximo, quando reapse non erat, deceptae partu Obstetrices, foeminas in partum, ipsum non sine gravi matris, foetusve damno niti hortarentur; hinc evidenter apparet, quam bonum hoc tempore necessariumque sit, ut vere, si foemina *veris* vexetur *doloribus*, sive si vexetur, quantum in *labore* profecerit, recteque noscatur, ad tactum illico, sive, ut aiunt, parientis *explorationem* confugere. Atque ut Artem decet, quo id assequi possit, unguibus resectis, & digitis unctis, unum vel alterum digitum in vaginam usque ad os tincae intromitti debet, eoque uteri osculum *explorari*, ac undique, ut vera de ipsius forma sit idea, contrectari, quod, dum *veri* urgent *dolores*, dum scilicet matricis adest con-

tractio, paullulum coarctatum constrictumque, membranaeque humores continentes tensae reperiuntur; eaque vero uteri contractione demissa orificium ipsum in maiorem quam antea dilatationem haberi, attenuari, molliri, membranasque pariter laxari optime distincteque persentitur.

Modo equidem *veris doloribus* expositis unusquisque facillime comprehendere poterit, sub *spuriorum* nomine omnia abdominis, licet periodica, vehementiaque sint, recenseri tormina, quae sub graviditatis potissimum finem, modo antrorsum, modo retrorsum, sive in lumbis, sive in dorso, sive demum ad umbilicum foeminas excruciant, quaeque nullum expellendi foetum conatum creant; quinimo, dum ipsorum actio viget, parietes cervicis uteri ad se invicem propius accedunt, ipsiusque orificium, prout si foetus exitui sese opponere vellet, coarctatur, constrictumque etiam remissis iis per breve tempus & occlusum remanet.

Quod si vero horum *dolorum* caussam perquirere lubeat, aliunde prorsus quam ab uteri contractione erit petenda. Hic interea prius monere praestat hos ipsos *dolores* praeoccupare oportere, eosque a *veris* cognoscere, atque distinguere, ne in partum foeminas niti hortaremur, neque proinde citius, quam natura constituit, *dolores* partum praematurum efficientes excitando detrimenti maximum pariturae ipsi & foetui simus allaturi. Hoc autem semper attingere opus, hic labor est; *dolores* siqui-

dem

dem isti cum veris tantum similitudinis interdum habent, ut, nisi ad *explorationem* confugiatur, atque de iis attentae minutaeque instituantur observationes, difficillima ipsorum cognitio est.

Atque ne nimis in iudicando praecipites simus, sequentia animo teneamus oportet, quod scilicet membranae foetum involventes horum *dolorum* actionis haud tenduntur momento, neque uteri osculum, dum sese remittere incipiunt, ut diximus, dilatatur, neque magna illa illinientis humoris, ut in veris doloribus, eos praecedit, & comitatur copia, iisque demum quod linteis calidis, clysteribusque (dum hisce *veri dolores* potius exasperantur auxiliis) plerumque aut partim compescuntur, aut penitus removentur.

Ad horum autem *dolorum* curationem quod spectat, eo dirigi remedia debent, unde illis exortus & incrementum extiterat; sic ex. gr. in *doloribus* immodico corporis motu ortis quies commendanda videtur; sic matricis irritationes ex nimia vasorum distentione, ut in plethoricis foeminis evenire solet, prudentes, moderatasque sanguinis missiones expostulant; sic spasmodicae intestinorum, musculorumque abdominis contractiones, & alvi raritas clysteribus, & opio mulcentur; sic incommodae obliquitati uteri opposita parientis actione consulitur; sic demum de caeteris.

Sed iam *verus* nobis in partu labor est considerandus. Cum igitur uteri cervix ob praevios

praesagientes dolores adeo attenuata eſt, ut viribus contractionum reſiſtere nequeat, uterus vehementius contrahitur, & paullulum maiores excitat *dolores*, qui haud rapide ſibi succedunt, sed pro circumſtantiis intervalla modo maiora, modo minora relinquunt.

Hos vero frequenter *dolores* quidam per pauca temporis momenta praecedunt aut comitantur rigores cum quadam, nec ne frigoris sensatione coniuncti, adauctae probabiliter irritabilitatis indicia, quae machinae partes ad hoc summum functionis disponit, atque ut ita dicam invitat. Aliis contra hoc tempore foeminis & praesertim senſibilibus, debilitates, ſive inguinum, & partium superiorum coxarum tremores superveniunt.

Hisce doloribus immediate succedit maior, quem ab initio diximus, materiarum mucosarum fluxus, qui crescente labore fit rubeus guttulis quibusdam sanguinis admixtis, & ad extremam usque *laboris* perducitur. Horum humorum partim separant innumerae glandulae in cervicis uteri superficie conspersae, ad quas maiori copia hoc tempore fluit sanguis; partim vero laeſio aliquorum vasorum, per quae externa ovi membrana a graviditatis primordio eſt adnexa. Quamvis vero humor hic non raro quantitate, coloreque ſit varius in variis, ex eo tamen consequentia nulla ad felicitatem partus auspicandam deduci poteſt, etiamſi interdum nimia ipſius copia fluxerit in iis, quibus labor acer ab initio fuit, parientibus, quibusque

prope matricis hiatum fuit adnexa placenta. Quomodocunque vero sese habeat res, verum tamen est, quod illius copia maior, & quantitas generatim optimae partium non tantum ad sese dilatandas dispositionis signum est, sed etiam eos maximopere disponit.

Huiuscemodi vero phaenomenis ita sese habentibus, si fiat consuetis cautionibus *exploratio*, haec apparebunt. Doloris in primis permanente vi uteri cervix non tantum coarctatur, sed etiam attollitur, & retroflectitur, neque adhuc ipsius osculum apertum, ut membranas aquas continentes admittat, plerumque est, aut si interdum propter ipsarum tenuitatem, aut debilitatem exiguam earum portiunculam admittit, vix earum tensio, & laxatio distinguitur; apparebit insuper, quod contractione remissa cervix ipsa (sed non tam quam antea erat) demittitur, nec non ipsius orificium (magis quam antea) dilatatur. Haec porro quae ad uterum pertinent, in omnibus mulieribus plus minusve constanter evenire attactu ipso monemur. Et revera haec sese habent, ut res ipsa postulat necessario, ex eo quod a mechanica uteri structura pendeant. Uterus enim cum paullo maius quam in *praesagientibus doloribus* contrahatur, contractio ipsius in omnibus partibus indistincte fit, ut tamen fundi actio ob seriem fibrarum numerosiorem actione colli maior, fortior, & diuturnior evadat, evenit, quod cervix in contractionis suae tempore paullulum cedat, potentiorique obtemperet fundo,

proinde cervix ipsa attollatur, eaque postea eiusdem cervicis remissa, & fundi adhuc permanente contractione ipsius osculum reseretur, ut fundi robur expostulat. Dilatatio vero haec caeteris paribus lentior est in muliere fibra forti, & robusta praedita, quam in alia laxioris temperamenti, & lentior itidem in primo partu quam in succedentibus, qnoniam alias uterus hanc dilatationem iam pertulit. Ast quoniam dolores hoc tempore adhuc leves, breves (habita ad futuros ratione) sunt, atque longa intervalla relinquunt, idcirco lenta quoque evadit dilatatio. Res quidem aliter sese habet quum contractiones fortiores, & diuturniores fiant; tunc enim ipsa dilatatio acceleratur, adeo ut (si licet ex generali observatione aliquam plausibilem assertionem deducere) si quinque, aut sex temporis horae, ut diameter orificii uteri duorum pollicum longitudinem aequet, necessariae sunt, tres, aut quatuor horas in progressu laboris, ut uteri orificium in integrum dilatetur (dummodo ipsius uteri regulari incremento procedat), quinimo & minorem temporis impensam requiri.

Pro ratione autem dilatationis orificii membranae aquas continentes, quae iam ab initio dilatationis, ob spasmodicas uteri contractiones, ab ipsius interna snperficie separari coeperunt, & quo minorem resistentiam patiuntur, eo sub quovis dolore ab *amnios* liquore pulsae vergunt, uteri nimirum ad orificium admoventur, incumbunt, ac deinde paullatim ipsum pene-

trant, fic dictam *aquarum veficam* efformantes extenfionem variam, variamque figuram praeseferentem.

Utilitatis hic vero maxime in praxi eft, scitu digna, figuram plus minusve conicam aquarum vefica efformatam (ut iamdiu creditum fuit) a praesentia semper unius, vel alterius extremitatis non pendere, verum non nunquam a membranarum ipsam efformantium laxitate, five quod segmentum uteri inferius superiori pelvis aperturae haud perfecte respondeat. Quod autem attinet ad illorum mentem, qui orificii uteri dilatationem ab actione huius veficae mechanica in peripheriam hiatus uteri fieri excogitant, iam quid apud nos polleat, prius dicta demonftrant. Verum ut res noftra verius, clariusque elucescat ad impugnandam addere sufficiat, orificium ipsum dilatari incipere, & persequi, quum nondum, aut vix idem orificium membranae introeant: fimul ac confiderando dilatationem haberi, quum aquae ob nimiam membranarum tenuitatem praemature fluunt, & licet per idem orificium pars nulla foetus sese introducere queat. Quibus ex omnibus itaque veficae praesentia non absolute necessaria dicenda, verum haud negandum faciliorem dilatationem reddere poffe, atque breviorem; orificium enim uteri & vaginam comprimens ad dilatationem magis magisque disponit.

Vi igitur virtuteque *dolorum* uteri hoftio ad pollicem unum cum dimidio circiter, aut pollices duos dilatato maiori copia fluit hu-

mor, de quo pluries effati sumus, globulis sanguinis numerofioribus admixtus, & uno quoque ingruente *dolore*, per quem & orificium conftringitur, veficaeque intenduntur membranae, pars, qua foetus orificium petebat, ab aquis expulsa discedit, & fundum versus retrogreditur, ut iterum absente *dolore* ad orificium redeat. Tunc autem temporis membranosus sacculus flaccidus, laxusque efficitur, ut attactu, quae pars foetus orificium adeat, cognosci possit.

Dum talia contingunt in utero parientis fitum debet componere Obftetrix inter sedentis, & recumbentis in dorsum, vel in lecto, vel in sella idonea; doneturque ei quidquid manu conftringat, ut unoquoque superveniente dolore validius ad expellendum foetum niti queat. Interim tumor ventris, qui adhuc alte prominebat, magis magisque subfidet, uterique osculum pudendi labiis appropinquatur. Tunc itidem ob imminutam fibrarum cervicis refiftentiam uterus ipse tenesmo quodam afficitur, proindeque in frequentiorem validioremque contractionem agitur, ex quo pariens invito spiritum retinere animo cogitur: quod actionem uteri utpote compofitam cum musculorum abdominis, & diaphragmatis actione maiorem reddit, eique auxiliatur, unde foetus, cuius pofitio naturae legibus respondet, ad orificium urgetur, ac membranae foetum involventes magis magisque orificium penetrant ad maiorem mucilaginis co-

piam, quae lubricam magis semitam efficit, comparandam. Tota hinc concalescit mulier, rubentque genae ob vehementes premitus, & quoddam faſtidium frequentiſſime in conatibus eam vexat, ipsamque ſibi ipſi moleſtam reddit. Hisce ſtipatur symptomatibus orificii dilatatio, quae in quibusdam foeminis, quamvis senſim, & faſtidiose procedat, non tamen promoveri debet continuo, & in vaginam saepe introducendo manus, non violente orificium diſtrahendo, non denique aſſiduis unctionibus, quibus imperitae Obſtetrices nimis infeliciter utuntur. Huiuscemodi enim unctionibus, & saepe manu tangendo, quin dilatatione partium foetui faveant, orificium uteri potius laedunt, vaginamque irritant; hinc irritationi inflammatio, & non raro mors inflammationi succedit; quid quod in foeminis quibusdam admodum irritabilibus huiuscemodi contrectationes ad ſitum, poſitionemque foetus mutandam ſuffeciſſe, atque ita *partum* per se *naturalem*, in *contra naturam*, aut *difficilem* vertiſſe ſilentio praetereundum non eſt.

Cum autem tempus accedit, quo laboris ad summum ventum eſt, ut dicta iam iam frequentiora vehementioraque facta phaenomena, & interdum etiam vomitus hisce momentis perutilis comprobant, uteri orificium ad perfectam dilatationem properat, adeo ut ſimul cum utero, & vagina (quae ad modum pariter dilatatur) unum continuum, aequalemque canalem efficiat; dum aquarum tunc temporis

& ipsa vesica magis magisque vaginae inferiora petit.

Hinc perfecta uteri orificii dilatatione membranae ob defectum parietis cervicis, & damnum distentionibus iteratis allatum debiliores factae vehementioribus dolorum conatuumque viribus cedunt, & dilacerantur: dummodo prius propter nimiam tenuitatem subtilitatemque, absque tamen plerumque etiam periculo disruptae non fuerint, vel ob nimiam densitatem viribus matricis resistentes foetum usque ad auras non comitentur, circumdent, atque involvant.

Dilaceratis porro membranis impetuosae fluunt aquae, si laceratio maiori in vagina convessitati vesicae respondet, earumque rapidus exitus pro quantitatis, & copiae ratione, aut diutius, aut brevius uterum inertem contractioni relinquit; paullo vero post iterum excitatur uteri actio vehementior; contra ac evenit, quum ad vesicae latus prope cervicis parietes laceratio efficitur; ex quo aquae ipsamet non libere fluunt, sed in utero diutius quam par esset, detinentur: ideoque in quodam fere torpore, qui graviditatem comitatur, uterus semper remanet, unde rariores *dolores*, & nulla interdum per aliquod tempus uteri actio, absque tamen ullo matris, natique detrimento petenda sunt. Ruptis item membranis uterus ipsae sive contractionis vi, per quam disrumpuntur illae sive elasticitatis suae propriae robore statim foetum amplectitur, ipsumque ad

orificium comprimit, ita ut aliquam partem sui praebeat, quam liceat attactu investigare; quae pars foetus in pudendo matris caput est. Hoc autem fere semper fronte iuncturam sacro-iliacam dexteram respicit, occipite vero cavitatem cotiloideam sinistram, ita tamen ut medium suturae sagittalis centro superioris aperturae pelvis respondere soleat. Nec temere id evenire fere semper asseri potest; per observationes enim notum est, ex centum partubus, in quibus caput primo praesefert foetus in octoginta, aut octoginta quinque sic esse positum; in decem tantum, vel ad summum quindecim caput medio vertice centrum pelvis respicere, faciem vero sacro-iliacam coniunctionem, & occiput dexteram cavitatem cotiloideam dexteram. Hac porro positione rariores caeterae sunt, & rariores admodum, ut vix terque quaterve in nonaginta aut centum partubus observentur.

Post aquarum exitum (ut iam praefati sumus) brevi dolores conquiescunt. Dum autem puerpera brevi intervallo ad quietem, & levamen fruitur, iterum exacuuntur dolores ut descensus foetus expediatur.

Verum antea quam de foetus descensu verba faciamus, summi momenti videtur (& revera res est) statuere, in quo ossae cavitatis puncto ipsius foetus caput eo tempore, quo membranae dilacerantur, reapse sit. Asserunt quidam caput ad introitum, vel ad superiorem pelvis aperturam se sistere, atque commorari;

quidam e contra, dum disrumpuntur membranae, caput ad inferiorem usque pelvis peripheriam perventum autumant. Temere utrique. Utinam tamen, ſicuti hi cogitant, semper sese res in partubus haberet; quo magis enim in pelvim foetus descendit, antea quam veſica dilaceretur eo minus mater, natusque patiuntur: quoniam matris partes dilatationi propriae magis magisque disponuntur, & a filio per quas compreſſio, & periculum avertitur. Nescio autem omnino, qua de cauſſa, quo tempore aquae fluunt, caput infantis eſſe ad pelvis introitum a primis aſſeri poſſit, animadvertentibus pelvim in quibusdam capaciorem eſſe, & membranas insueta craſſitie praeditas. Nescio quoque cur ab aliis ad inferiorem pelvis peripheriam demittatur, conſiderantibus vix in quibusdam neceſſarium ad partum spatium servari, & membranas tenues, laxasque reperiri. Quibus ſi addantur variae ſingulis ad partes dilatandas diſpoſitiones, numerus natorum varius, fibra vel mollis vel rigida, nil veri aſſeri posse, quod praxis, & ratio continuo probent, manifeſte patebit.

In tot tantisque rerum dubiis, e quibus nil certi deducere licet, probabile aliquid, sed quadam ratione suffultum deducamus, ut nobis propoſitum, modo, quo poterimus illucescat. Primam autem sententiam lubenter, utpote quae communi eſt omnium intellectui accommodata, seligimus. Verum ante omnia eſt observandum, descensum foetus (quem admodum

dilatatio orificii uteri lentior, aut promptior evadit ob variam fibrarum rigiditatem, & caussas varias) prout rigida, sive mollis vaginae externarumque genitalium partium conditio tulerit, lentiorem vel promptiorem haberi.

Post itaque brevem dolorum cessationem dolores perpetes, acrioresque, quam antea vexavere, iterum consurgunt; primae tamen contractiones, quae, statim atque fluunt aquae, succedunt, non admodum validiores sunt, ideoque vehementissimos non comitantur dolores.

Philosophice porro hasce contractiones considerantes, non possumus quin instituta naturae miremur, quae satis moderatas nunc temporis voluit, utpote per quas capiti ad exitum faciliorem melior positio erat tribuenda, neque enim revera aliud moliri videntur, praeter capitis foetus anteriora versus inclinationem, ut mentum sterno incumbat; a directione autem diagonali non avertunt: quod non modo vehementioribus contractionibus non consequeretur, verum etiam gravi matris, natique periculo caput in pelvis caveam inapto situ descendere cogeretur.

Dum caput hoc modo a posterioribus in anteriora flectitur, fere quintam partem circuli describens, media saturae sagittalis portio, quae prius ad centrum, aperturae superioris pelvis locabatur, necessario in posteriora sacrum matris petit, & locum occipitis tuberositati cedit, quae tactu facile pertractatur, & ex qua optimum capitis situs signum acquirimus.

Sic ad faciliorem descensum caput dispositum, propter dolores, qui iterum vehementiores fiunt, descendere coepit secundum introitus axem, eodemque modo ad inferiora usque pelvis descenderet, si pelvim arctiorem non offenderet. Tunc autem uterus vehementer irritatus conatus maiores resistentiam vincendam adhibet, & revera in singulis contractionibus ad inferiora caput paullulum impellit. Sed cum uteri contractionibus immediate vis elastica ossium calvariae succedat, oportet ut caput iterum aliquantulum in altum redeat. In his itaque motibus modo velocioribus modo tardioribus iuxta ossificationis eiusdem calvariae gradum, facies non modo ab obliqua spinarum ischii directione, verum etiam ab ascendentibus pubis alis coacta disponitur, & convertitur ad ossis sacri caveam, occiput vero ad arcum pubis sibi satis aptum, ut ex figura & dimensionibus patet; & hoc modo medius diameter capitis foetus directe in linea maioris diametri pelvis excavationis invenitur.

Quod si excessu, vel defectu ossificationis ossium capitis (quae cum minori elasticitate coniunguntur), aut deficiente vi contractionum uteri ii motus alterni (de quibus nuper) male sese habent, necessario partus lentior evadit, atque retardatur; & (ni fallor) magis ex alterutra harum caussarum in laxioris temperamenti foeminis, & in iis, quae plures iam ediderunt foetus, lentum capitis descensum plerumque repetendum, quam a cavea pelvis

arctiore, & immodico volumine capitis, a pravo eiusdem situ, nisi tactus evidenter doceat. Ex quibus deducendum mihi videtur, summum operis naturae viribus committendum esse, quod praxis, non modo tardiores partus naturae dumtaxat ope felices demonstravit, verum etiam infelices effectus non necessariam Obstetricis operam sunt comitati.

Haud vero tamen naturae soli relinquenda, sed serio perpendenda quidam dolores, quaedam nervorum affectiones ingratae, sive torpores, quibus interdum puerperae in partibus anterioribus, & internis coxarum vexantur, cum circiter tertiam canalis ossei partem caput descendens, percurrit; si enim dolores, & haec affectiones compressione nervorum otturatorum provenire solent, quaeque ab absoluta, aut relativa pelvis angustia, sive a capitis mutato situ augeri possunt: quae omnia quamvis interdum ad partus proferendos maximo impedimento esse nequeant, puerperae tamen (eo magis si timida sit, & irritabilis) tantum perturbationis afferre valent, ut voluntarios conatus edere ad foetus descensionem cooperandam non possit. In tanta igitur magni momenti re, ut intensitas harum affectionum imminuatur, oportet, frictionum siccarum usu, dummodo gravissimae caussae ad maiores apparatus iuxta artis, & praxeos praecepta non urgeant.

Adimi pelvis cavitatem quum caput pervenerit, non ultra procedit, sed dum distentio

parietum uteri minuitur, ut vis fibris redeat, in eadem cavea commoratur. Phaenomena quae nunc succedunt, induſtriam, & ſtudium Obſtetricis deſiderant. Primo breve poſt tempus dolores evanescunt, uterus enim ad inertiam revocatur, ſimili quo, poſt aquarum fluxum, modo, tempore tamen graduque minorem, ac solummodo gravitans & dolorifica sensatio remanet ad inferiora pelvis, diſtentionis, & compreſſionis partium contentarum effectus. Secundo puerpera supradictis nervorum affectionibus rursus vexatur in alterutra coxarum (raro in ambabus) compreſſioni nervorum proportionatis, & eo magis vehementibus, quo maior anguſtia pelvis, aut capitis peior poſitio. Quibus omnibus (ut artem decet) prudentia, & ſtudium Obſtetricis consulere debet. Ob eandem etiam preſſionem inteſtini recti exitus faecum aliquando contingit; plerumque autem eas expellendi deſiderium eſt illusorium, nec in utraque casu puerperae sella eſt permittenda, cum experientia doceat illud interdum ibi evanuiſſe; immo & gravi matris natique discrimine partum ibi eveniſſe; verum tamen foeminis placidis verbis eſt inſiſtendum, dum timent ne faecibus grabatum inquinent, ut conatus voluntarios edant.

Vi itaque uteri reſtituta, & per se maiori iam facta, quam antea, & per conatus puerperae nunc temporis in voluntarios caput ad iter, ut exeat, prosequendum cogitur. Sed quoniam pars oſſis sacri inferior antica curva-

tura descensioni eiusdem iuxta primam directionem obstaculum praebet, & quoddam insuper initium plani inclinati a posterioribus in anteriora constituit, quod complent coccix, perinaeum, & laterales partes pelvis; & quoniam ad anteriora propter vacuum quod ab ossibus ischiorum, & pubis, ut arcus quidam efformetur, occipiti nulla ad sese extollendum, exeundumque resistentia affertur, nemo non videt, qua de caussa caput, quod adhuc usque per pelvim iuxta superioris aperturae pelvis axim descenderat, ob sequentes contractiones per novum planum inclinatum iter prosequi coactum sit; notum & pariter eadem de caussa virium uteri directionem, quae in maioris foetus axis longitudinalem usque adhuc transierat, post aliquot dolores mutandam esse; hae vires enim, quod ad foetum ex sacro tendere modo ad verticem, modo ad anterius fonticulum, modo ad partem frontis anteriorem debent, prout cursu laboris plus, minusve mentum discesserit a thorace, quo usque adhuc incumbebat, ut sub arcu pubis occiput extolleretur.

Primae revera contractiones, anteaquam mentum a thorace recedat per axim foetus a sacro ad occiput tendunt, ex quo pars posterior superior vaginae vi doloris ad ima, & posteriora impellitur in superficiem perinaei internam, quod ad exteriora prominet. Quia inde mentum ob plani nuper dicti inclinationem, & quia occiput paullulum elatum, & arcui appositum, & quia denique uteri vires

in partem capitis foetus anteriorem, eamque superiorem tendunt, vertex, & anterius fonticulum progrediuntur cuiusque doloris actione adeo rapide, ut ut vulva circulum referre videatur, perinaeum attollatur hemisphaerii ad instar circiter ad duorum vel trium pollicum altitudinem, & singulis momentis caput exire videretur. Attamen remisso dolore clauditur vulva, deprimitur perinaeum, & vertex cum fronte posterius ascendunt sacrum versus, ubi fere ante contractionem morabantur. Verum cum ascensui menti, & verticis, inclinatio plani resistentiam afferat, vertex, & mentum idcirco locum humiliorem quam ante singulas contractiones occupant. Idem de occipite, ast minus evidenter contingit.

Huiuscemodi motus alterni, quorum pars ab actione uteri, & pars ab elasticitate ossium cranii foetus pendet, ut consideremus in eis, & miremur naturae leges ad foetus expulsionem, conducunt, quin potius circum collum foetus actionem funiculi retorti minus sedulo perpendamus. Cui enim primo quoque inspectu parum licet in Obstetriciis versato latebit, vaginam & externas genitalium partes, ut sine lacerationem tantam distentionem paterentur, extendi, & dilatari lente, & per gradus debuisse, quo tempore caput ipsum foetus singulis contractionibus has partes distendit, & retrocedens, nec prima loca petens, premit paullatim sensimque premit, & ad sese magis magisque dilatandas disponit.

In

In praxi quoque eſt animadvertendum ad sententiam hanc comprobandam, quo diuturniore temporis intervallo caput ad partes externas descendit, eo minus puerperas vaginae, & perinaei lacerationibus affligi, etiam ſi interdum caput foetus immodico volumine paullulum a natura discedat.

Si autem haec omnia quotidiana nos docet observatio, quid immoramur, ut diligentiae omnes, quae ab initio ad finem laboris ad dilatationem partium proponuntur, a praxi noſtra removeantur; partes enim inflammant, & rigidiores reddunt adeo, ut facilius laceratione afficiantur. Raro occaſio opem digitorum poſtulat, & partes per semetipsas inſtrumenta moliuntur, per quae ad sui dilatationem disponuntur. Huiuscemodi eſt mucus, quo plus minusve sunt obductae, quo nemo ex Obſtetriciuum familia aliquid praeſtantius inveniet. Quam ob rem ſi mucus non in sufficienti quantitate ex hisce partibus (vel ob iniuriam aſſiſtentium, vel ob aliam cauſſam) rigidioribus, & praeter modum calidis separetur, apponenda utiliter erunt fomenta, & vapores emollientes, materies quoque mucilaginosae supra locum, ut ad secretionem congruam laxentur, ac disponantur.

Cum porro poſt tot iteratos, & alternos motus foetus occiput paullulum extollatur ex arcu pubis, quumque eius parietales protuberantiae protuberoſitates ischiaticas superaverint, caput non amplius retrocedere, nec elaſticitati

perinaei parere potest. Tunc conatus ex utero, & ex matre frequentissimi sunt, & vehementes adeo, ut omnes fere musculi convulsi videantur. Iterum vulva reseratur, nymphae explicantur, & anus, & perinaeum propter vim ex dolore ad anteriora trahuntur, ibique prominent.

Nunc temporis, & hisce momentis Obstetricem tota uti prudentia necesse est; perinaeum enim in periculo lacerationis versatur quam maxime; & revera interdum matricis vires, & musculorum abdominis aegre ferens (praesertim si rigiditate sit affectum) laceratur.

Tenendum idcirco semper animo est, quod observatio confirmat, partus scilicet lentiores minus lacerationis periculo perinaeum subiicere. Hacce igitur innixi ratione arceantur, & exulent, quae naturae obstant, omnes anxiae Obstetriciuum curae ad occipitis progressum sub arcu pubis impediendum, ne mentum per axem breviorem transeuns perinaeum distrahat. Exulent quoque Illarum vires, quibus ex inferioribus ad superiora perinaeum impellunt, ut occiput ad sese extollendum montem veneris versus cogatur. Melius ne capiti nimis sollicitum exitum impedire? Et, ut sensim sine sensu, & per gradus progrediatur, caput ipsum cogere? Id autem facile assequi possumus & applicatione volae manus sinistrae morbido panno involutae; & curantes, ne foemina nimis conatus involuntarios voluntariae adaugeat, eam ad loquendum in contractionis uterinae tempore

cogendo; eam denique decipientes caput iam in lucem proditum afferendo, proindeque ipsam inutiles non modo conatus, sed vitae foetus noxios edituram.

Nunc vero si diligentiae, quas commendavimus lacerationem partis inferioris vaginae impedire potuerunt, cum a limine perinaei foetus caput per aliquot pollices adhuc distat, ad hoc profecto non valebunt, cum caput margini ipsius perinaei summopere distenti incumbit. Tunc Obstetrices sapientissimae alteram diligentiam commendant, quae fructus felicissimae praxeos esse videtur. Haec autem in eo consistit, ut partes extremas, & internas pollicum inter se iunctorum margini eidem distento applicemus, ut perinaeum contra pollices pluribus punctis contranitatur, donec mentum partem vulvae inferiorem derelinquat. In hoc tamen summa prudentia esse oportet; aliquando enim contingit, quod perinaeum, ipsumque foetus caput periculosis contusionibus sint affecta.

Iam sensim sensimque ad lucem caput duximus; iamque vestigia nympharum, & mirtiformium caruncularum amplius non apparent, labiis interiecta rima propter fraeni lacerationem in primiparis contingere solitam non amplius distinguitur, & extra vulvam mire extensam caput plurimum protuberat. Nunc matris validiores conatus, voces acutae, & stridentes, dolores vivissimi, pulsus valde agitati, calor, machinae ad extremum usque augetur;

& adeo nervorum syſtema agitatur, & commovetur, ut tota ſimul contremiscit foemina, neque ulla uteri pars, & utero vicinia ſine dolore sunt. Dum haec contingunt ab arcu pubis magis magisque occiput extollitur, atque ipſi firmius incumbit adeo, ut poſtica mediae diametri capitis extremitas motus totius capitis centrum fiat, ac proinde mentum ob virium directionem uteri, quae in anteriorem, & superiorem eiusdem capitis partem tendit, facilius in anteriora feratur, & extra vulvam exeat.

Cum caput autem vix vulvam reliquerit, praecipuum eſt Obſtetricis officium, ut totum liberet, pubem versus extollendo, aut digitum ad latus mandibulae inferioris collocando; & cum totum e vulva prodierit, ad latera capitis eius manus applicet, & digitis minimis, & anularibus faciem suſtineat, eamque ad quam coxam matris tendit, dirigat. Plerumque per se facies ad dexteram volvitur; idque fit ex torſione, quam collum paſſum eſt, quum ob alternos motus pelvis excavationi caput sese accommodavit. Iuvat tamen (ut aiebam) faciem in directione propriae comitari; haec autem diligentia quam plurimum prodeſt, ut humeri, ſicuti caput, oblique, ad introitum pelvis sese offerant; quamvis enim mala ipsorum poſitio plurimum partui non obſtet, attamen ex eorum volumine aliquid reſiſtentiae afferri poteſt, ſi parum adapte prodeant.

Sic ad faciliorem exitum humeris collocatis, quaeſtio eſt inter Obſtetrices, ſi caput

manibus apprehensum trahi debet ex superioribus ad inferiora hinc, & inde, ut naturae auxilietur, & humerorum, caeterarumque foetus partium exitus promptior fiat: vel e contra si manibus tantummodo fulcrum capiti praeberi debet, & a doloribus, & a natura extremum laboris attendi.

Simplicior, aptior hic revera modus, omnibus obvius, & providae naturae comparatus est; novae enim contractiones insurgunt, & nulla vi per pelvim descendere incipiunt humeri, & mechanicam convolutionem (sicuti capiti contingit), perficiunt ita, qui oblique ad superiorem pelvis aperturam aderant, gradatim descendentes ad excavationem perveniunt, ut alter sub symphysi pubis, alter in cavea ossis sacri collocentur. Adde quod naturae opere commisso raro a violentia partes externae genitales afficiuntur; minus etiam haec partes lacerationibus; vagina minus procidentiis subiectae; minus internae partes afflictae, & distentae; earum idcirco inflammationes, & uteri prolapsus, & urinae retentiones removentur.

Maior autem utilitas (ut *Practici* peritiores sentiunt) in eo est, quod per naturales dolores placenta facilius, sensimque a vinculis solvatur, ideoque feliciores partus consequentiae evadant. E contra, cum sine ratione in foetum vim facimus, neque naturam sequimur, modo in collo, modo in corpore toto contractiones irregulares, & oppositae contingunt, ex quibus non solum dolorum, quibus post

partum vexantur puerperae, caussa repetenda est, verum etiam retentionis secundarum, quae nonnisi spasmodicis contractionibus diminutis discedunt.

Quod si foetus humeri, vel per se, vel manuum ope aptam non assequantur positionem, aut si assecuti ob maiorem ipsorum crassitiem, aut ob pelvis angustiam per solas naturae vires in suam caveam, & ex hac in vulvam descendere nequeant, manus opera tunc necessaria fiet. Summa tamen utendum prudentia & moderatione modo dextrorsum, modo sinistrorsum trahendo, & a superioribus ad ima, donec caput a vulva aliquantulum distans indicis, & medii digiti ambarum manuum introductionem permittat, quibus vel humeri ad naturalem situm componantur, vel unci ad instar sub axillis naturae contractionum momento auxilietur; quo in casu utillimum quoque erit obtuso unco uti, quum tamen nimium sit trunco obstaculum.

Humeris natura vel artis ope in pelvis excavationem prolapsis, & optime positis, oportet, ut Obstetrix continuo sustineat caput infantis, illudque primis urgentibus contractionibus deprimat, ut humerus, qui pubem respicit, facilius arcum relinquat; quo facto caput extollatur, ut & alter ex parte sacri prodeat. Corpus plerumque, humeris extra vulvam positis, totum prodiret gravitate sua, nisi sustentaretur; quod si non accidat, iterum digitis in vulvam immissis ad partes trunci laterales integrum opus sensim sensimque perficiatur.

Verum hic quoque animadvertendum, vim in foetum non esse faciendam, nisi conatuum actionis tempore.

Infante in lucem iam toto prodito, puerperae quies placida tandem succedit; & omnes matris sensus laetitia occupat. Suavissimo quodam fremitu loquitur ipsa, ac interdum motionibus animi quibusdam, quas ut reprimat, cogimur; eo quae tempore magna, pro varia parientium constitutionis ratione, sanguinis copia & aquae non nihil e vagina profluit.

Toto iam prodito foetu Obstetrici est illum manibus apprehendere, cauteque tractare, ne propter lubricitatem, quam mucus externae illitus superficiei praebet, e manibus labatur; postea in ore infantis digitum intromittendum suademus, ut gluten, quo plerumque est refertum, dimoveatur. His peractis adstanti committatur, vel foemoribus propriis Obstetrix regat, vel puerpera in cubili degente, ipsi quoque molliter incumbat infans; cavendo tamen, ne nimis a matre distet, ut funiculus non extendatur, atque distrahatur; neque nimis prope matrem, ne fluxus e vagina sanguinis & aquarum in os eius incidat, proindeque ipsius respiratio vix inchoata laedatur. Atque, ut incongrua omnia removeantur, haec fortassis melior eius positio erit; unum crus matris capiti infantis respondeat, alterum pedibus; dorsum vero neonati genitalia matris respiciat.

Modo si quae praestantiores etiam Obstetrices tradidere de nexu, & sectione funiculi

umbilicalis in partubus naturalibus omnia referre vellemus, paullulum sane abesset, quin statim praecepta, quibus hae operationes moliuntur, exponeremus. Verum sicut ex omnibus hisce partubus, in quibus a communi recedendum sententia est, aliquot excerpere utilius videtur, idcirco ut nostra perceptu faciliora reddantur, animadvertere oportet, diversimode variis temporibus sese gessisse Obstetrices, ut variae nati rationes ferre videbantur.

In tempora itaque antiquiora retro aspicientes HIPPOCRATEM videmus in difficilibus partubus, in quibus instrumentis utebatur, funiculum nunquam secantem, nisi prius infans voce, vel sternutamento, aut mingendo vitae signum praebuisset; ex quo consonum rationi videtur inferre in partubus naturalibus IPSUM statim ac foetus & placenta exiverint, funiculum obstrinxisse, atque secasse, etiam si foetus vocem non edidisset, neque sternutasset, neque minxisset; neque pariter a veritate alienum est, HIPPOCRATEM Ipsum in partubus ante placentam expulsam funiculum nunquam secantem non modo ut facile, tuteque in descensum sese haberet placenta, verum etiam, quae maxima integro funiculo ad maiorem foetus utilitatem conducit utilitas, cordi habuisse.

Hanc porro ultimam circa funiculum ideam perutilem (modo congruis sit circumscripta limitibus) & magis naturae consonam effectus, & consequentiae reapse confirmant. Ve-

rum fortaſſis, quod parum accurate de hac re HIPPOCRATES locutus eſt, tunc quod naturae in partubus ſtudere noluerunt Obſtetrices, idcirco ipſius funiculi sero commoda cognoverunt. Cum vero poſtremis hisce temporibus a nonnullis ſic actum ſit, ut funiculum paullulum perpenderent, eum, donec arteriarum pulsatio adeſſet, semper in quacumque foetus conditione aſſervari dixerunt, prout ſi haec sola agendi methodus (nulla habita ratione) perfecta fuiſſet, ac nil aliud, quam solus integer funiculus omnia, quae detrimenti foetus capere poteſt, removere valuiſſet.

Non autem ita pridem utile foetui habitum eſt illico poſt ipſius ortum umbilicum obſtringere, atque secare, & eo citius id agi oportere, quo debilioribus infans vitae viribus fungeretur; cum enim ad apoplexiam in hoc ſtatu tendere foetum crederent, ſic & per fluxum sanguinis ob sectionem funiculi mortis periculum auferri poſſe exiſtimabant.

Verum enim vero hac usae methodo compensationes naturae deſtrui non cognoverunt Obſtetrices. Circulum revera per funiculi arterias, & venam poſt ortum foetus hic naturam ipsam servaſſe consonum rationi eſt, ut inde novus in foetu circulus, & respiratio perficiantur facilius, & ut quaedam compensatio ad moram eorum, aut impedimentum eſſet; eoque magis consentaneum videtur, cum in partubus naturalibus cum perfecta foetus vitae vi sanguinis circulus per funiculum senſim senſimque

minuatur pro ratione transitus eiusdem sanguinis per pulmones, & pro ratione perfectionis respirationis foetus; & demum pereat, cum respiratio, novumque sanguinis iter in ipsomet foetu perfecta sunt.

Hisce sese habentibus, si cum hac nova vita nondum utitur foetus, funiculus secetur, evidenter patet, sanguinem e vena umbilicali non amplius cor foetus adire, neque pulmones, ut respirationem coadiuvet; ex quo foetum licet sanitate, & forti corporis constitutione gaudeat, mori necesse est, ut necessario, qui ad apoplexiam vergunt, citiusque perituri.

Ex dictis autem non satis apparet nos opinari in foetubus etiam ad apoplexiam pendentibus (dum in primis summae prudentiae est) funiculum integrum servari debere usque ad perfectam respirationem, & ad funiculi ipsius absolutam pulsationem; hae enim in hoc postremo casu contemporaneae non sunt, & flaccidus fit idem umbilicus, ante quam foetus gaudeat respiratione. Male itaque sese gereret Obstetrix, si diutius sectionem funiculi protraheret, sique fere non apparente pulsatione, nec facili reddita respiratione credens funiculum integrum ad utilitatem foetus sufficere posse, cum aliunde validiora auxilia (quae nostrum non est modo referre) effectum iam iam extinctae pulsationis funiculi superant.

Quarundam denique Obstetricium praxis fuit, & viget adhuc, foetum inter matris coxas collocare, ibique per aliquod tempus retinere,

cum ad lucem prodiret pallidus membris, & viribus extenuatus, cumque uno verbo asphixia laboraret, antequam funiculum constringerent, atque secarent: quinimo sanguinem digitorum ope per vices e placenta ad filium per funiculum ipsum impellebant: idque vel si post foetum adhuc placenta mansisset in utero, vel si doloribus continuatis ipsum sequeretur foetum, vel si ad fortem haemorragiam reparandam ab Obstetrice extracta fuisset.

Verum licet haec methodus in praxi laude sit digna (ex eo quod vitales foetus excitentur potentiae) in hac positione tamen diu multumque morari non debet; delicatulis enim pulmonibus, quam plura damna aer rarefactus, septicisque particulis gravidus, quae e materiebus faeculentis, & a matre perspiratis exhalant, inferri possunt, ideoque respirationi facillimae obstare, cui purus aer, & temperatus calor favent.

Meliorem itaque, aptioremque Obstetricis sese habendi modum, quod ad funiculum, eiusque constrictionem spectat, fere nolentes retulimus. His omnibus addere perutile credimus, plerosque ex primiparis foetus, quamvis notissima plethorae signa non praebeant, tamen propter lentum per pelvim descensum plethoricos in lucem reapse prodire; neque idcirco frequentis mortis eiusmodi foetum caussam repeti ex hac ipsa plethora alienum a veritate existimantes, funiculum, antequam sit ipsius pulsatio absoluta, abscindimus; melius enim ple-

thoram, & mortem sectione funiculi praevenire, quam postea fluente immodica sanguinis quantitate morbo consulere.

Nunc verbum de nexu funiculi brevissime facientes, non immerito credere iudicamus ab antiquis temporibus (id est ab ortu Artis nostrae) duos usos fuisse: idque forsan nostri Priores vehementem haemorragiam pertimescentes agebant. Lapsu autem temporis auctoritate Maiorum & falsa in rebus antiquis habita fide Obstetrices omnes ambas funiculi secti extremitates constrinxere, & nunc etiam temporis huiusmodi mos ita dominatur, ut ignarus esse, qui usum, & necessitatem inficeret, videretur. Obstetrices porro quaedam ad necessitatem horum confirmandam nobis haemorragiae filio, & matri praesertim fatales suppeditant ob neglectos, vel male actos nexus. Verum (quod ad foetum pertinet) licet sectum ipsius umbilicum semper circumligare prudentia postulet, non tamen ad matrem eadem ratio habenda est; per observationes enim notum est, nullum detrimentum plerumque eidem provenire ab omissa, sive male acta ligatura, dummodo post foetus exitum uterus propria elasticitate gaudeat, proindeque sese constringat & coarctetur; quare nobis credendum videtur, Obstetrices, si in huiusmodi casibus vim, actionemque uteri excitavissent (qua diminuta actione, vel prorsus extincta haemorragia petenda est) eas huiusmodi nexum semper necessarium non pronunciavisse.

Nexus equidem funiculi circa umbilicum foetus etsi inutilis aliquando esse posset, cum foetus ipse sanus, validusque in lucem prodeat, cumque umbilicus secatur post absolutam pulsationem, & novo sanguinis circulo peracto; nullatenus cum nihil detrimenti ab hac ligatura inferri possit, prudentiae est semper funiculum constringere.

Non ita sese res habet, cum foetus plethoricus sit; nexus tunc damno esset, utpote qui utillimum nimii sanguinis exitum impediret. Cum vero sanguis ab morbosam caussam ad novum iter per funiculum non vel male constrictum tendat, nexus est necessarius.

Modo si extremitatem funiculi ad placentam pertinentem spectemus, sic sentiendum non ut ad extremitatem umbilici foetus cum perfecta sanitate, & vitae vi nati; funiculum enim hic non constringere magis utile praxis confirmat, quod ea sanguinis quantitas, quae post funiculi sectionem fluit, ut melius ab utero placenta ipsa recedat, favet. Animadvertendum tamen est, ne immodice exeat sanguis: quod si eveniat, dubium oriri potest de gemino partu (quod explorationis ope evincendum) ideoque immodicus sanguinis exitus foetum nondum in lucem proditum maximo damno afficere potest.

Cum igitur duo fiant nexus unus infantem versus, alter placentam; primus ad duorum circiter digitorum distantiam ab umbilico sedem habeat, alter ad arbitrium.

Atque, ut nexus ipsimet accurate instituantur, quinque vel sex filamenta in unum colligantur, & leviter contorqueantur. Melius profecto esset taeniola uti, quae latitudinem lineam unam aequet, pedem unum longitudine; taeniola haec enim facilius tractatur ab Obstetrice, neque ab ipsa umbilicus laceratur. Hac funiculus circumdatur, & nodo Chirurgico obstringatur caute tamen & prudenter, ne (si nimis gracilis sit funiculus) nexus validior cito nimis separationem eiusdem operetur, quam infesti effectus saepe numero comitantur; neque parum constrictus sit, ut sanguis exire queat. Cavendum praeterea, quod in funiculis oedematosis valde constringatur nexus; immo prudentissimum est alium paullulum infra ad funiculi extremitatem moliri; aliquando enim contingit ob fluxum humoris in cellulosa contenti, quae arterias & venam circumsepit, & vestit, inutiles primi nexus effectus evadere. Quo facto inter geminos nexus umbilicus vel cultro vel forfice secari debet.

Mucus inde, qui totum foetus corpus illinit, lotionibus congruis, aqua scilicet, aut vino non ad modum calidis est detergendus; omnesque ipsius partes, an optima, nec ne, conformatione sint praeditae, ut operationes, quas nostrûm non est referre, opportune instituantur, perlustrandae. Postea funiculus linteis involvatur, ac pectus versus taeniola contineatur, quae etiam ad praecavendam herniam plurimum confert. Caput denique foetus calan-

tica cooperire, & longa, dataque fascia reliquum circumdari optimum esse credimus, ita tamen, ne quid detrimenti tenellis membris inferatur, neque ipsius libera respiratio laedatur.

Post quam autem omnium circa funiculum, & foetum diligentissime partim perfecit, & partim perfecta curavit Obstetrix, animum ad matrem, quae adhuc auxilio eget, iterum convertere debet; foetum siquidem feliciter, statuto tempore, & solis naturae viribus, in lucem esse proditum (quod ad matrem) ut partus reapse nuncupari queat naturalis, non sufficit. Debent etiam placenta, & membranae foetum ipsum involventes, utpote inutilia ex utero discedere. Haec alterum veluti partum constituunt, in quo, ut ad maiorem enixae felicitatem Ipsa conducat, naturae quemadmodum (in expellendo foetu) operationes prosequi, eique opem ferre debet: aliter sciat, male sese ad placentam gerente, puerperam in summo vitae discrimine versari.

Omnibus igitur, qui quamvis complures naturali partu foetus edere non observaverint, notum est, naturam in placentae expulsione diversimode in singulis sese habere foeminis; interdum enim doloribus continuatis foetum ipsum illico placenta sequitur, & simul ad auras pervenit, dum plerumque hae duae operationes sive tertia, sive quarta horae parte distant; raro demum, aut vix unquam dixerim excusso foetu diu placenta moratur in utero: quarum omnium varietatum caussas satis

perspicuas in medium afferre modo non licet. Afferi tamen poteft tardiorem, promptioremque placentae ab utero solutionem atque expulfionem a varia parientis conftitutione, & vario natorum numero, atque ipfius laboris natura, quam maxime pendere; frequentius enim obfervatur placentam facilius, promptiusque in muliere forti, & robufta, quam in aliis laxioris temperamenti a vinculis diffolvi, atque difcedere; facilius itidem, promptiusque in primo partu (quoniam uterus alias diftentionem non pertulit) quam in succedentibus; nec non in iis, quarum labor gradatim ad finem perducitur, parientibus, quam in celerioribus, aut admodum tardioribus partubus.

Huiuscemodi autem varius sese habendi naturae modus in variis Obftetriciuum ftudium semper excitavit, cauffasque, ut Ipsae diverfimode in placentam agerent, suppeditavit. Animadvertentes forsan nonnullae naturam plerumque fic agere, ut paullulum poft foetum placentam in lucem emitteret, placentam illico poft ipfius foetus ad auras descensum indiscriminatim extrahendam dixere; dum aliis contra naturae iura nimis suspiciose tuentibus ipfius naturae viribus in quovis casu placentam committi magis utile videbatur.

Temere utraeque; nam in partubus pro laboris ratione modo placentam ipsam educere modo in utero relinquere oportet.

Nos itaque partum solummodo naturalem confiderantes secundam extrahere non aggredimur.

mur. Et revera, cum foetus secundum naturam positus absque infortunio in lucem pervenit, cur verendum de placenta est? quave de caussa educenda? eoque magis animadvertentibus operationem maximo cum dolore vitaeque periculo necessario coniungi?

His expositis satis evidenter apparet Obstetricis aequius esse munus (omnibus circa foetum, & funiculum ad finem perductis) enixae animum componere, ut absentibus doloribus refici, & recreari queat ad expellendam secundam.

Dum haec aguntur a nobis, actio uteri non admodum vehementior excitatur, quam mulier suis conatibus maiorem reddit. Dissolvit haec (nisi prius doloribus, quibus eiicitur foetus, separata fuit) a vinculis placentam, & ad orificium tunc temporis plerumque constrictum impellit: quo facto uterus ad inertiam redit simili, quam antea, modo, tempore tamen, graduque minorem. Hinc maiori ipsius uteri fibris restituta vi placenta in vaginam propellitur, quae, ubi pervenerit, non manibus extrahenda; nam doloribus continuatis statim emittitur, totumque sine auxilio placentae expulsionis opus perficitur.

Haec ad secundam plerumque observatio evenire confirmat. Ast si ipsa lentius a vinculis dissolveretur, atque lente nimis descenderet (proindeque enixae animus, ut mala timenda forent, perturbaretur) frictiones imo ventri ad robur uteri excitandum adhibenda sunt. Hisce peractis, si nihilo tamen minus non

secesserit, dexterae manus digitos in vaginam usque ad uteri orificium intromittere debet Obstetrix, eosque, ut funiculo umbilicali quodammodo trochleam constituant, arcui pubis ossium firmiter admovere. Funiculum postea, qui e vagina prodit, linteis involutum sinistra apprehendat manu, ipsumque leniter trahat. Hac equidem agentibus methodo, licet ab anterioribus in posteriora horizontali funiculus directione feratur, ob ipsius funiculi angulum in trochlea nuper dicta efformatum vires in placentae centrum incidunt, ex quo placenta ipsa iuxta introitus axem descendere cogitur.

Cum vero secunda in vaginam Obstetricis auxilio pervenerit, in vaginam ipsam (ut supra diximus) morari debet, donec contractiones ad eam penitus expellendam excitentur; sive saltem donec corporis, animique perturbationes compositae sint, & uterus, ne amplius haemorragia verenda sit, satis constringatur.

Haec lente ab utero secedente placenta plerumque sufficere solent; & nisi sufficiant, neque exitus signa supersint, iterum ad frictiones confugere oportet, iterumque funiculum trahere; ita tamen, ne funiculus ipsemet abrumpatur, nec uterus invertatur, nec lacerationibus locus sit. Quibus omnibus addere utillimum credimus, ut membranae foetus, & grumi sanguinis in integrum educantur, ne ipsorum frustula dolores (ut aiunt) secundarios ad quietem enixae admodum necessariam perturbandam suscitent.

De caeteris, quod supereſt dicendum, paucis expediam. Puerperam in primis aliquantulum ut refocilletur in grabatum retinere praeſtabit; eiusque genitalia aqua tepida mundare; veſtibus, & linteis sudore, aquis, & sanguine madidis spoliare; aliisque calantica scilicet, & subucula induere. Quibus peractis abdomine lata fascia, ut facilius coarctetur uterus, nec non pectore levi inducula circumdatis ad consuetum transferatur cubile, ita ut clunibus capite, & thorace humilioribus humorum e vagina fluxus facilior reddatur, puerpera ſtragulis, prout anni tempora tulerint, non nimis curiose tegatur.

Modo dolores ut plurimum ſilent, ne sanguinis miſſionibus, & emollientibus, & antispasmodicis ſit opus, utque puerperam ad quietem, & levamen Obſtetrix facilius disponat.

Maximae vero utilitatis in praxi eſt, ut linteis vulvam sedulo munire mundioribus, ne humores ex utero egredientes ob moram acriores facti irritationes, inflammationesque excitare queant. Hic fluxus uberior in his, parcior in illis sanguineus ab initio eſt; & talis diem unum, vel alterum perdurat. Poſtea senſim pallescunt magis magisque effluentia liquida, quibus lochiorum nomen Prisci dedere, ut damus & nos.

Secunda, tertia, vel quarta a partu die lochia minuuntur, aut interdum penitus ceſſant. Mammae tunc: & vasorum uteri coarctatione, & ob nervorum consensum aptiores factae in suis

glandulis, ita disponuntur, ut lac a sanguine efformare valeant.

Secretio equidem haec, & ingruentia lactis in mammis non sine alteratione totius corporis fiunt; rigoribus enim tunc puerpera afficitur; febre; tumore, & dolorum mammarum, qui lymphaticorum ipsarum directionem servans ad axillas tendit.

Motus hic sanguinis concitatus vasorum uteri extremitatum coarctationem vincit, & spasmum dissolvit; simili quoque modo cutis aperiuntur, ac dilatantur vasa, sicuti ea quae ad canalem intestinorum appellunt: ex quo unam vel alteram post diem a lochiorum imminutione, aut perfecta cessatione, sudoribus vel diarrhoea febris absolvitur, & lochia iterum redeunt, & ad incertum tempus perdurant; ita tamen ut lac turbidulum esse videantur. Nil, dum haec ita sese habent apud puerperam, agendum, ne utillimae naturae operationes perturbentur.

Mammas solummodo sustinere praestiterit, ne molles pendulaeque factae humores maiori copia, non solum incommode, qua data porta, ruant, sed male tumoreque officiant.

Ad regimen puerperarum, quod proprius accedit, sic nobis satis animadvertere; primis a partu diebus diaetam sorbilem nutrientem, & *eupepta* convenire, nec non decubitum per aliquot dies in lecto; aerem purum, & ad calidum vergens; animi tranquillitatem, madoremque cutis continuum; paregorica, &

purgantia ita tamen, ut usus Medicus expostulat.

Praestat autem hic prius quam quo ad naturalem partum Obstetriciis finis sit, animadvertere mulierem ad consueta munera non revertendam, ante quam uterus in pristinam molem sit restitutus, ne detur anteversioni eius, vel retroversioni locus; nec a cubili, vel saltem a cubiculo secedat, prius quam in abdomine dolorificae sensationis ne minimum quidem percipiatur: quae omnia sexdecim, aut viginti fere dierum spatio perficiuntur adeo, ut prima fronte de partu mulier Obstetricibus ipsis dubium relinquat.

FINIS.



CORRIGE.

Pag. 4 *lin.* 3 poterat *lege* non poterat = 9 19 ab -- ob = 11 20 utiliſſimum -- utillimum = *ivi* 28 ſinenda -- ſinendae = 19 22 scematismum -- schematismum = 25 33 factus -- foetus = 31 31 Obſtetricis -- Obſtetriciis = 34 10 ovaria -- ovariis = 39 1 Obſtetriciam -- Obſtetriciorum = 46 30 tardiore -- tard ores = 51 6 eos -- eas = 60 20 medius -- media = 61 31 Adimi -- Ad imi.



